Diptera Americae septentrionalis indigena.

Descripsit

H. Loew.

Centuria quinta.

1. *Chasmatonotus unimaculatus.*
2. *Bibio hirtus.*
3. - *inaequalis.*
4. - *nervosus.*
5. - *obscurus.*
6. - *lugens.*
7. - *variabilis.*
8. - *fraternus.*
9. - *abbreviatus.*
10. - *nigripilus.*
11. - *basalis.*
12. - *longipes.*
13. *Scatopse pygmaea.*
14. *Tipula fraterna.*
15. - *ternaria.*
16. - *pubera.*
17. - *macrolabis.*
18. - *serrulata.*
19. - *canadensis.*
20. - *latipennis.*
21. - *centralis.*
22. - *angulata.*
23. - *tephrocephala.*
24. *Pachyrrhina nobilis.*
25. - *virescens.*
26. - *lugens.*
27. - *vittula.*
28. *Pachyrrhina unimaculata.*
29. - *sodalis.*
30. - *occipitalis.*
31. - *xanthostigma.*
32. - *gracilicornis.*
33. *Spilomyia hamifera.*
34. - *fusca.*
35. *Temnostoma obscura.*
36. - *aequalis.*
37. - *alternans.*
38. *Lepidomyia calopus.*
39. *Xylota bicolor.*
40. - *barbata.*
41. - *fraudulosa.*
42. *Chrysotoxum laterale.*
43. - *pubescens.*
44. - *ventricosum.*
45. *Microdon tristis.*
46. - *laetus.*
47. - *coarctatus.*
48. *Ceria abbreviata.*
49. *Empis laevigata.*
50. - *stenoptera.*
51. - *longipes.*
52. - *rufescens.*
53. *Rhamphomyia umbrosa.*
54. - *basalis.*

55. *Rhamphomyia macilenta.*
56. - *rustica.*
57. - *luteiventris.*
58. - *nigricans.*
59. - *hirtipes.*
60. - *irregularis.*
61. - *candicans.*
62. *Hilara tristis.*
63. - *seriata.*
64. - *testacea.*
65. *Hormopeza brevicornis.*
66. - *nigricans.*
67. *Gloma rufa.*
68. - *obscura.*
69. *Cyrtoma femorata.*
70. - *procera.*
71. *Tachypeza rapax.*
72. - *rostrata.*
73. - *clavipes.*
74. - *pusilla.*
75. *Platypalpus aequalis.*
76. - *trivialis.*
77. - *pachycnemus.*
78. *Platypalpus lateralis.*
79. - *apicalis.*
80. - *flavirostris.*
81. - *laetus.*
82. *Dolichopus splendidulus.*
83. - *quadrilamellatus.*
84. - *palaestricus.*
85. - *dorycerus.*
86. - *melanocerus.*
87. *Gymnopternus coxalis.*
88. - *meniscus.*
89. *Pelastoneurus abbreviatus.*
90. - *lamellatus.*
91. - *alternans.*
92. *Porphyrops longipes.*
93. *Cordylura praeusta.*
94. - *nana.*
95. *Tetanocera ambigua.*
96. *Sapromyza decora.*
97. *Heteroneura melanostoma.*
98. *Opomyza lurida.*
99. *Ephydra subopaca.*
100. *Caenia spinosa.*

---

1. *Chasmatonotus unimaculatus*, nov. sp. ♂ et ♀. *Ater, alis concoloribus, maculâ marginis postici candidâ.* — Long. corp. $\frac{1}{1}\frac{1}{2}$ lin., Long. al. 1 lin.

Caput atrum, oculis in utroque sexu per frontem latam nitidam separatis. Proboscis brevis nigra; palpi concolores, quadriarticulati; articulus primus brevis; articuli sequentes duo mediocres, aequales, secundus clavatus, tertio crassior; articulus quartus linearis, praecedenti paulo longior. Antennae nigro-fuscae, breves, in utroque sexu aequales; articulus basalis globosus; articuli flagelli quinque breviter pilosi, primus cylindricus, sequentes tres rotundato-ovati, quintus ovatus. Thorax ater, dorso nitido, pleuris opacis. Scutellum concolor. Abdomen nigrum, subopacum, primis segmentis in foeminâ luridis; hypopygium maris globosum, concolor. Pedes nigri, femorum basi sordide lutescente tarsisque in speciminibus immaturis cinereis. Halteres nigri. Alae atrae, maculâ candidâ sub-

triangulari, a margine postico usque ad venam tertiam pertinente ornatae. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

Nota. Chasmatonotus, artâ propinquitate cum Hydrobaeno conjunctus, differt tamen palpis longioribus et antennarum flagello in utroque sexu ex articulis quinque composito; thoracis dorsum rimâ tenui, postice in foveolam dilatatâ fissum est, unde nomen.

2. ***Bibio hirtus***, nov. sp. ♂ et ♀. ***Totus niger, pilis longis sordide albicantibus villosus, alis subalbidis, venis validissimis fuscis, costae propinquis, costâ ipsâ et stigmate nigris.***

♂. *capite pedibusque fere totis semper, thoracis dorso et scutello interdum nigro-villosis.*

♀. *fronte, palpis pedibusque fere totis nigro-pilosis, tibiarum posticarum calcaribus lamelliformibus.*

Long. corp. $4 - 4\frac{1}{3}$ lin., Long. al. $3\frac{1}{2} - 3\frac{1}{12}$ lin.

Mas: Niger, nitens, pilis longis, sordide albicantibus villosus. Caput pilis longis nigris vestitum. Thoracis dorsum et scutellum plerumque pilis pallidis, interdum nigricantibus vel nigris villosa. Ultima abdominis segmenta nonnumquam praeter pilos pallidos aliquot nigris instructa. Pedes nigri, in speciminibus quibusdam fere toti nigro-pilosi, in plerisque femora anteriora supra et postica in basi pallide villosa. Calcaria tibiarum anticarum valde inaequalia, posticarum brevia et valida. Alae albicantes, venis validissimis nigro-fuscis, costae propinquis, costâ ipsâ et stigmate nigris.

Foem.: Mari simillima, sed brevius pilosa, pilis palporum et frontis nigris, thoracis, scutelli abdominisque pallidis; pedum pili ut in mare colorati sunt, sed multo breviores. Calcaria tibiarum posticarum compressa, lamelliformia, obtusa. — (California; Agassiz).

Nota. Bibioni albipenni Say affinis, sed pilis totius corporis confertioribus et multo longioribus alisque foeminae non cinereis facile distinguitur. —

3. ***Bibio inaequalis*** nov. sp. ♀. ***Ex badio testaceus, capite nigro, pedibus testaceis, calcari interiore tibiarum anticarum brevissimo, alis aequaliter ex luteo subfuscis.*** — Long. corp. $3\frac{5}{6}$ lin., Long. al. 4 lin.

Ex badio testaceus, pilis brevibus pallidis vestitus. Caput nigrum, antennis palpisque concoloribus. Metanotum nigro-fuscum. Venter ochraceus, postico segmentorum singulorum margine fusco. Pedes testacei, tarsis anterioribus inde ab articuli primi, posticis

inde ab secundi apice fusco-nigris, calcari interiore tibiarum anticarum omnium brevissimo. Alae totae aequaliter ex luteo subfuscae. venis posticis concoloribus, anticis cum costâ et stigmate subfuscis. — (Sitka; Kolenati).

4. ***Bibio nervosus*** nov. sp. ♀. *Niger, coxis pedibusque rufis, trochanteribus, genibus, tibiis primisque duobus tarsorum articulis in apice, reliquis tarsorum articulis totis nigris, calcaribus tarsorum anticorum valde inaequalibus; alae ex subfusco cinereae, venis validis fuscis, costae propinquis, costâ ipsâ et stigmate nigro-fuscis.* — Long. corp. $3\frac{1}{3}$ lin., Long. al. 4 lin.

Niger, ventre et capite concoloribus, pilis brevibus pallidis vestitus. Pedes cum coxis rufi; genua nigra; tibiae anticae praeter annulum medium nigrae, calcaribus valde inaequalibus; tibiae posteriores et primi duo tarsorum articuli in apice. articuli tarsorum reliqui toti nigri, imâ tertii basi tamen exceptâ; calcaria tibiarum posticarum mediocria. Alae totae aequaliter ex fusco cinereae, venis fuscis. stigmate, costâ et venis costae propinquis nigro-fuscis. — (California; Agassiz).

Nota. Proxime affinis est Bibioni xanthopo Wied., sed alis alarumque venis tibiarumque anticorum calcari interiore longiore diversus. —

5. ***Bibio obscurus*** nov. sp. ♀. *Niger, nitidus, ventre coxisque concoloribus, pedibus rufis, tibiarum anticarum calcaribus valde inaequalibus, alis dilutissime subfuscis, costâ cum venis costae propinquis et cum stigmate angusto subfuscis.* — Long corp. $4\frac{1}{4}$ lin., Long. al. $3\frac{7}{12}$ lin.

Niger, nitidus, ventre coxisque concoloribus, pilis pallidis vestitus. Pedes rufi vel rufo-testacei, genibus nigris, tarsis apicem versus fusco-nigris; calcaria tibiarum anticarum valde inaequalia, posticarum parva. Alae inaequaliter, sed dilutissime subfuscae, venis posticis paulo obscurioribus, anticis cum costâ et stigmate angusto subfuscis. — (Hudsons Bay Territory; Kennicot).

Nota. A Bibione xanthopo Wied. coxis nigris, tibiis anticis minus latis, venis posticis alarum dilutioribus et stigmate angustiore differt.

6. ***Bibio lugens*** nov. sp. ♀. *Niger, nitens, ventre concolore. coxis pedibusque rufis, tibiarum anticarum calcaribus valde inaequalibus, alis nigro-fuscis adversus costam obscurioribus, imâ*

basi sordide albicante, stigmate nigro. — Long. corp. $3\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $3\frac{1}{3}$ lin.

Niger, modice nitens, ventre concolore, pilis pallidis vestitus. Pedes cum coxis rufi, apice tibiarum anticarum late, reliquarum anguste nigro, tarsis nigris, articulo primo praeter basim et articuli secundi basi rufis; calcaria tibiarum anticarum valde inaequalia, posticarum mediocria. Alae nigro-fuscae, adversus costam obscuriores, in imâ basi sordide albicantes; venae validae, posticae fuscae, anticae cum costâ et cum stigmate fusco-nigrae vel nigrae; ultimum venae quartae segmentum rectum. — (Winnipeg; Kennicot).

Nota. Bibioni basali valde propinquus, sed calcaribus tibiarum anticarum admodum inaequalibus, posticarum brevioribus, basi alarum obsoletius albicante et ultimo venae quartae segmento recto diversus. —

7. ***Bibio variabilis*** nov. sp. ♂ et ♀. *Niger, nitens, calcaribus tibiarum anticarum subaequalibus, posticarum majusculis.*

♂. raro totus nigro-pilosus, plerumque abdomine vel toto vel praeter basim pallide piloso; tibiae piceo-rufae, apicem versus nigrae; primi tarsorum articuli in apice, reliqui toti nigri; alae pure hyalinae, venis posticis pallidis, anticis cum costâ et stigmate nigro-fuscis.

♀ pilis brevibus pallidis vestita; coxae rufae, posticae plerumque ex parte obscuriores; pedes rufi, genibus, tibiarum apice tarsisque nigris, primis tribus tamen tarsorum articulis praeter apicem rufis; alae subfuscae, adversus costam obscuriores, venis posticis subfuscis, anticis cum costâ et stigmate nigro-fuscis.

Long. corp. $3-3\frac{3}{4}$ lin., Long. $3\frac{1}{6}-3\frac{3}{4}$ lin.

Mas: Niger, nitidus, coxis femoribusque concoloribus, tibiis anticis plerumque piceis, ante apicem nigricantibus, posterioribus piceo-rufis, apicem versus fusco-nigris, tarsorum articulis primis tribus in apice, sequentibus totis nigris. Raro totus nigro-pilosus, plerumque abdomen vel totum vel praeter segmenta prima pallide pilosum, interdum pleurae et coxae etiam pallide pilosae. Alae pure hyalinae, venis posticis pallidis, anticis cum costâ et stigmate nigro-fuscis.

Foem: Nigra, modice nitens, pilis brevibus pallidis vestita. Coxae rufae, posticae plerumque ex parte obscuriores; pedes rufi, genibus et extremo tibiarum posteriorum apice ex fusco nigris, tibiis anticis in basi et ante apicem fuscis vel fusco-nigris, tarsorum articulis primis tribus in apice, reliquis totis fusco-nigris. Alae sub-

fuscae, adversus basim et angulum axillarem dilutiores, adversus costam obscuriores, venis posticis subfuscis, anticis cum costâ et stigmate nigro-fuscis. — (Sitka; Kolenati, Sahlberg. — New Hampshire; Osten-Sacken).

8. **Bibio fraternus** nov. sp. ♂ et ♀. *Niger, pedibus rufis, tibiarum anticarum calcaribus subaequalibus, longitudine tarsorum posticorum ordinariâ.*

♂. *corpore, praeter oculos et palpos, albido-piloso, coxis nigris, alis dilutissime cinereo-hyalinis.*

♀. *pilis brevibus pallidis vestita, thoracis dorso coxisque rufis, alis subfuscis.*

Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $1\frac{1}{2}-1\frac{7}{12}$ lin.

Mas: Niger, nitens, pilis longiusculis pallidis vestitus, pilis tamen oculorum, genarum palporumque nigris. Coxae concolores. Pedes ex testaceo rufi, genibus, tibiis anticis in apice et basi posterioribusque in extremo apice nigris. primis duobus tarsorum articulis in apice, reliquis totis nigris; calcaria tibiarum anticarum subaequalia, posticarum mediocria; tarsi postici non breviores quam in speciebus plerisque. Alae dilutissime cinereo-hyalinae, venis dilute subfuscis, stigmate saturate fusco. — (District Columbia; Osten-Sacken).

Foem.: Nigra, thoracis dorso rufo, pilis brevibus pallidis vestita. Coxae rufae, posticae anterioribus obscuriores. Pedes ex testaceo rufi, notis iisdem nigris, quas pedes maris habent, tibiis tamen anticis interdum praeter annulum medium obscure rufum totis nigris. Alae ex cinereo subfuscae, adversus costam saturatius subfuscae, venis posticis subfuscis, anticis cum costâ et stigmate nigro-fuscis. — (District Columbia; Osten-Sacken).

Nota. Foemina interdum thoracis dorsum nigro bimaculatum habet.

9. **Bibio abbreviatus** nov. sp. ♂ et ♀. *Niger, pedibus rufis, tibiarum anticarum calcaribus subaequalibus, tarsis posticis brevioribus quam in speciebus affinibus.*

♂ *corpore praeter caput totum albido-piloso, coxis nigris, alis pure hyalinis, venis posticis sine colore, anticis et costâ fuscis, stigmate nigro-fusco.*

♀. *pilis brevibus pallidis vestita, thoracis dorso coxisque rufis, alis subfuscis.*

Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $1\frac{1}{2}-1\frac{7}{12}$ lin.

Bibioni fraterno simillimus, sed tarsis posticis brevioribus certo distinctus. Mas caput totum nigro-pilosum, alas pure hyalinas et tibias posticas breviores et paulo latiores quam Bibio fraternus habet, cum quo in reliquis notis omnibus plane congruit. Foemina praeter tarsos posticos breviores a Bibionis fraterni foeminâ non differt. — (District Columbia; Osten-Sacken).

10. ***Bibio nigripilus*** nov. sp. ♂. ***Niger**, nigro-pilosus, coxis concoloribus, pedibus rufis, tibiarum anticarum calcaribus subaequalibus, longitudine tarsorum posticorum ordinariâ; alae pure hyalinae, venis posticis sine colore, anticis et costâ fuscis, stigmate nigro-fusco.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Inter Bib. fraternum et abbreviatum quasi intermedius, tarsos posticos longiores illius cum alis hyalinis hujus conjungens, cum utroque corporis pedumque picturâ congruit, sed pilis totius corporis nigris ab utroque differt. — (Winnipeg; Kennicot).

Nota. Dilophus articulatus Say in viciniam Diloph. fraterni, abbreviati et nigropili referendus videtur; sed et Sayi et Wiedemanni descriptio nimis incerta et ambigua est, ut judicari possit, ad quem eorum pertineat.

11. ***Bibio basalis*** nov. sp. ♀. *Niger, coxis pedibusque rufis, calcaribus tibiarum anticarum subaequalibus, alis nigro-fuscis adversus costam obscurioribus, basi albidâ, stigmate et venis nigro-fuscis* — Long. corp. 3 lin., Long. $3\frac{3}{4}$ lin.

Niger, nitidus, capite et thoracis dorso subopacis, pilis brevibus pallidis, adversus apicem abdominis nigris vestitus. Pedes cum coxis rufi, nigro-pilosuli, genibus et tibiarum apice nigris, tibiarum anticarum calcaribus subaequalibus, tarsis nigris, articulis primis duobus praeter apicem rufis. Alae nigro-fuscae, adversus costam obscuriores, basi albidâ, venis omnibus et stigmate nigro-fuscis. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

12. ***Bibio longipes*** nov. sp ♂ et ♀. *Macer, niger, nitidus, calcaribus tibiarum anticarum valde inaequalibus.*

♂. coxae et pedes concolores; caput pilis nigris, reliquum corpus pallidis vestitum; pedes postici elongati, tibiis clavatis tarsorumque articulis valde incrassatis; alae hyalinae, venis posticis dilutissime cinereis, anticis cum costâ et stigmate nigro-fuscis.

♀. pilis brevibus pallidis vestita; thorax testaceo-rufus, plerumque nigro-maculatus: pedes cum coxis testaceo-rufi, genibus, tibi-

arum apice tarsisque (articuli primi basi tamen exceptâ) nigris; alae dilute subcinerascentes, venis posticis dilute subfuscis, anticis cum costâ et stigmate ex fusco nigris.

Long. corp. $2\frac{1}{6}$—$2\frac{7}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{7}{12}$ lin.

Mas: Bibionis gracilis mari simillimus, tarsorum posticorum articulos singulos crassiores et alas non cinereas, sed pure hyalinas, venis posticis dilutioribus instructas habet; praeterea pili thoracis et scutelli, quos Bibio gracilis nigros habere solet, in hoc nostro Bibione longipede semper pallidi sunt. — Foemina a Bibionis gracilis foeminâ pedibus posticis brevioribus, alis non ex cinereo subfuscis, sed dilutissime subcinerascentibus venisque posticis dilutioribus differt. — (District Columbia; Osten-Sacken).

13. *Scatopse pygmaea* nov. sp. ♀. *Nigra, modice nitens, alis hyalinis, venâ longitudinali secundâ brevi, furcâ tertiae mediocri, basim versus angustissimâ, apicem versus subito dilatatâ.* — Long. corp. $\frac{5}{12}$ lin., Long. al. $\frac{1}{2}$ lin.

Nigra, modice nitens, tarsis sordide albicantibus vel subfuscis. Antennae breves, crassiusculae. Alae albido hyalinae, venis primis duabus et costâ inde a basi usque ad venae secundae finem subcinerascentibus, reliquis sine colore; vena secunda, primam longitudine paulo superans, dimidiâ alâ brevior est; venae tertiae furca mediocris, sed pedunculo multo brevior, ramis prope basim valde approximatis, apicem versus subito divergentibus, anteriore recurvo, posteriore incurvo. — (District Columbia; Osten-Sacken).

14. *Tipula fraterna* nov. sp. ♀. *Antennae ochraceae, apicem versus subfuscae, flagelli articulis in basi atris; alae vittatae, limbis venae quintae angustius obscuriusque, costae latius et paulo dilutius fuscis, vittâ mediâ cinerascente usque ad cellularum basalium finem pertinente et fasciâ irregulari albidâ a costâ per cellulae discoidalis basim prope ad marginem posticum ductâ.* — Long. corp. $6\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $8\frac{5}{12}$ lin.

Caput ex fusco cinereum, lineâ mediâ frontis et occipitis fuscâ. Rostrum ochraceum, lateribus infuscatis; palpi subfusci. Antennae laete ochraceae, apicem versus ex ochraceo subfuscae, flagelli articulis inde ab secundo in basi atris. Thoracis dorsum cinerascens, vittis fusco-cinereis, subobsolete fusco marginatis, mediâ per lineam nigro-fuscam dissectâ. Abdominis latera praeter basim late infuscata. Extremus femorum apex fuscus. Alae vittatae, limbis costae et venae quintae fuscis, illo latiore, sed extra cellulam subcostalem

dilutiore, vittâ mediâ subcinerascente usque ad venulam transversam mediam ductâ; fascia irregularis albida, ante stigma costam attingens, per cellulam discoidalem, per cellulae posterioris quartae basim et per cellulam posteriorem quintam fere ad posticum usque alae marginem extenditur. — (District Columbia; Osten-Sacken).

15. *Tipula ternaria* nov. sp. ♂. *Cinereo-nigra, posticis segmentorum abdominalium singulorum marginibus appendicibusque hypopygii luteis, antennis palpisque nigris; alae maculatae, maculâ obscurâ insigni in cellularum basalium initio.* — Long. corp. $6\frac{1}{2}$ lin., Long. al. 7 lin.

Cinereo-nigra, opaca. Caput concolor, rostro cum palpis nigro. Antennae breves, nigrae, secundo flagelli articulo badio. Dorsales thoracis vittae nigrae. media e vittis duabus et lineâ composita. Scutellum nigrum, lateribus albido-pollinosis; metanotum cinereo-nigrum. Pleurae cinereae. Abdomen cinereo-nigrum, margine segmentorum singulorum postico ex luteo ochraceo. Hypopygium magnum, nigro-fuscum, lamellâ supremâ nigrâ, latiore quam longiore. appendicibus luteis. Pedes nigri, femoribus praeter apicem luteis, tibiarum basi ex fusco luteâ. Alae ex fusco cinereae, maculis nigricantibus tribus, primâ cellularum basalium initium tegente, maculisque albidis compluribus variegatae; cellulae posteriores praeter albidam primae et quartae basim immaculatae et maculae albidae in postico alarum margine nullae. — (Hudsons Bay Territory; Kennicot).

16. *Tipula pubera* nov. sp. ♂. *Testacea, vittis thoracis paulo obscurioribus, corpore toto pilis solitis longioribus vestito; flagellum antennarum fusco-nigrum; alae maculatae, cellulis posterioribus omnibus albido-marginatis, venae longitudinalis secundae ramulo anteriore abbreviato.* — Long. corp. 9 lin., Long. al. 10 lin.

Ex luteo testacea vel ochracea, opaca, pilis longioribus, in vertice, rostro et palpis nigricantibus, in reliquo corpore pallidis vestita. Caput totum concolor, ultimo palporum articulo antennarumque flagello fuscis, primo tamen hujus articulo dilutiore. Vittae thoracis reliqui corporis colore, paulo tamen saturatiore tinctae. Scutellum et metanotum immaculata. Abdomen lineae mediae subfuscae vestigium et utrinque lineam subfuscam habet. Hypopygium permagnum, concolor, lamellâ infimâ magnâ. in margine apicali pilis confertissimis subaureis babatâ. Pedes ex luteo subfusci, femorum tibiarumque apice et ultimis tarsorum articulis nigro-fuscis. Alae

ex cinereo fuscae, maculatae, venae secundae ramulo anteriore abbreviato; macula obscura major in cellularum basalium initio nulla; stigma fuscum; basis venae secundae, venae transversales, vena longitudinalis quinta tota venarumque reliquarum apices fusco-limbatae; cellulae posteriores albido marginatae; cellulae axillaris primae margo maculâ et strigulâ albidis notatus. — (California; Agassiz).

17. *Tipula macrolabis* nov. sp. ♂ et ♀. *Testacea, thoracis dorso cinereo, fusco-vittato, vittâ mediâ per lineam cineream dissectâ; alae maculatae, maculâ obscurâ majore in cellularum basalium initio nullâ, prope marginem anticum maculis obscuris tribus, adjectâ quartâ obsoletiore, maculis albicantibus compluribus sparsis, cellulâ posteriore primâ prope marginem albido-lituratâ.* — Long. corp. $6\frac{1}{2}$—$6\frac{5}{6}$ lin.. Long. al. $7\frac{1}{12}$—$7\frac{1}{2}$ lin.

Testacea, thorace vel toto cinereo, vel ex flavo cinereo, scutello, metanoto plerisque flavicantibus. Caput cinereum, lineâ occipitis et frontis fuscâ. Rostrum ex fusco testaceum vel fuscum; palpi ex fusco nigri, basi fuscâ. Scapus antennarum luteus, flagellum ex luteo subfuscum vel fuscum, basi articulorum singulorum nigrâ. Vittae thoracis saturate fuscae, media per lineam latiusculam cineream dissecta. Abdomen maris ex luteo testaceum, subfusco trilineatum. Abdomen foeminae multo obscurius colorem post mortem mutavisse videtur. Hypopygium maris permagnum, reliquo corpore obscurius, subbadium, lamellis lateralibus valde elongatis, linearibus, arcuatis et forcipis speciem efficientibus. Terebra foeminae mediocris, segmento basali brevi, ex basi latâ subito attenuato, lamellis tenuibus acutis. — Pedes lutei, femorum tibiarumque apice et tarsis praeter basim fuscis. Alae maculatae, maculâ obscurâ majore in cellularum basalium initio nullâ; maculae fusco-nigrae subquatuor prope marginem anticum, primae duae quadrangulae in cellulâ basali primâ sitae, tertia irregularis cum stigmate contigua, quarta praecedentibus obsoletior subapicalis; maculae albidae complures; cellularum posteriorum margines elutae, quartae et quintae ex parte albidae; cellula axillaris prima prope marginem lituram vel maculam albidam, interdum obsoletam habet. — (Hudsons Bay Territory; Kennicot).

18. *Tipula serrulata* nov. sp. ♀. *Thoracis vittae dorsales fusco-marginatae; alae maculatae, maculis fusco-nigris duabus, alterâ minore venae secundae basim tegente, alterâ cum stigmate contiguâ, maculis albidis compluribus diffusis, nullis tamen in mar-*

gine postico; lamellae terebrae infra serrulatae. — Long. corp. $10\frac{1}{3}$ lin., Long. al. $9\frac{1}{2}$ lin.

Testacea, thoracis colore in cinereum vergente. Caput concolor, palporum apice fusco. Scapus antennarum testaceus (flagellum deest). Thoracis vittae dorsales ex testaceo fuscae, anguste fusco-marginatae, media per lineam obsoletiorem fuscam dissecta. Scutellum et metanotum immaculata. Abdomen vittis tribus angustis fuscis pictum. Lamellae terebrae latiusculae, leniter recurvae, infra serrulatae. Femora lutea, apice subfusco; tibiae et tarsi ex luteo subfusci, apice illarum et ultimis horum articulis fusco-nigris. Alae fusco-cinereae, maculatae, maculis fuscis duabus, alterâ minore in venae secundae basi sitâ, alterâ irregulari cum stigmate concolore in unam connatâ, maculis albidis compluribus diffusis, in margine postico tamen nullis; cellularum posteriorum prima in basi albida, quarta et quinta in basi et marginibus adversis elutae, reliquae immaculatae. — (Hudsons Bay Territory; Kennicot).

Nota. Foeminam unicam Tipulae serrulatae, sordidam et mutilatam descripsi; a Tipulâ tessellatâ, cui proxima, corpore minus robusto, alis dilutius et parcius maculatis, maculâ obscurâ majore in cellularum basalium initio destitutis et pedibus longioribus gracilioribusque certe differt.

19. *Tipula canadensis* nov. sp. ♂. *Thorax ex cervino cinereus, vittis cinereis fusco-marginatis, mediâ per vittulam fuscam subfusiformem dissectâ; alae subfuscae maculis subquatuor albidis variegatae, cellulis posterioribus praeter albidam primae et quartae basim immaculatis.* — Long. corp. 6 lin., Long. al. 7 lin.

Ex luteo testacea. Caput cinereum, rostro luteo, supra subfusco. Palpi ex fusco nigri. Antennarum scapus luteus, flagellum ex ochraceo subfuscum, articulis praeter primum infra excisis, in basi nigris. Thoracis dorsum ex cervino cinereum, vittis cinereis fusco-marginatis; vitta media per vittulam subfusiformem fuscam dividitur. Pleurae ex fusco cinereae. Scutellum et metanotum ex fusco cinerea. Abdomen ex luteo testaceum, vittis tribus aequalibus fuscis, segmentis ultimis fere totis nigro-fuscis. Hypopygium parvum lamellis superioribus minutissimis, rotundato-ovatis. Pedes fusci, femoribus adversus basim luteis. Alae subfuscae, adversus costam obsolete sublutescentes, maculis subquatuor albidis variegatae; macula minuta in venae secundae basi et stigma fusca; cellularum posteriorum prima et quarta in basi albicantes, reliquae immaculatae. — (Hudsons Bay Territory; Kennicot).

Nota. Tipula canadensis, Tipulae baliopterae proxima, antennas obscuriores, vittam thoracis mediam vittulâ fuscâ integrâ dissectam, apicem abdominis juxta hypopygium non excavatum et superiores hypopygii lamellas multo breviores habet.

20. *Tipula latipennis* nov. sp. ♂. *Pallida, antennis nigro-annulatis, thoracis dorso ex fusco ochraceo, vittis concoloribus fusco-marginatis; alae latae, ex luteo dilute subfuscae, maculis aliquot fuscis albidisque pluribus variegatae, maculâ obscurâ majore in cellularum basalium initio nullâ, cellulis posterioribus praeter albidam primae basim cellulisque axillaribus immaculatis; lamella hypopygii suprema nigra, non longior quam latior.* — Long. corp. $5\frac{1}{6}$ lin., Long. al. $7\frac{1}{2}$ lin.

Pallida vel dilute ochracea. Caput concolor, vertice subcinerascente. Antennae ochraceae, apicem versus obscuriores, articulis flagelli simplicibus, basi primi nigricante, reliquorum nigrâ. Rostrum luteum, lateribus obscurioribus. Palpi ochracei vel ex fusco ochracei, basi fuscâ. Thoracis dorsum fusco-ochraceum; vittae concolores, fusco-marginatae; margines vittarum lateralium aequales, vittae mediae postice attenuati, antice valde dilatati. Pleurae ex flavo obsolete cinerascentes, immaculatae. Abdomen fusco univittatum. Hypopygium magnum, appendicibus pendulis nullis instructum, lamellâ supremâ rotundâ, nigrâ. Femorum apex fuscus. Alae latae, ex luteo dilute subfuscae, adversus costam lutescentes, maculis saturatioribus paucis, albidis pluribus variegatae; basis venae secundae fusco-marginata; stigma fuscum; cellularum posteriorum prima in basi albicans, reliquae immaculatae; maculae albidae in cellulis axillaribus omnino nullae; venulae transversales basi alarum proximae infuscatae, sed macula obscura major in cellularum basalium initio nulla. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

Nota. A Tipulâ hebete alis latioribus, antennarum apice obscuriore, pleuris omnino immaculatis et abdomine fusco-vittato differt; hypopygium minus, appendicibus pendulis vel inflexis destitutum, lamellâ supremâ non oblongâ et luteâ, sed rotundâ et nigrâ instructum diversitatem maris aperte demonstrat.

21. *Tipula centralis* nov. sp. ♂. *Obscure cinerea, vittis thoracis concoloribus obsolete et subtiliter fusco marginatis, abdomine sordide testaceo, vittis tribus et segmentis ultimis duobus nigris; alae ex cinereo fuscae, stigmate et maculâ in venae secundae basi nigro-fuscis, maculâ minutâ centrali cellulisque discoi-*

dali et posteriore quartâ in basi albidis; hypopygium parvum, lamellis superioribus brevibus, truncatis. — Long. corp. 7 lin., Long. al. 8 lin.

Caput obscure cinereum, lineâ tenui occipitis et frontis fuscâ, lateribus rostri nigris. Palpi nigri. Scapus antennarum luteus, basi articuli primi fuscâ; primus flagelli articulus luteus, basim versus nigricans, reliquum flagellum fuscum, apicem versus nigrum, basi articulorum singulorum atrâ. Thoracis dorsum obscure cinereum, vittis concoloribus, subtiliter et obsolete fusco-marginatis, mediâ per lineam dilutius cineream divisâ. Abdomen sordide testaceum, vittâ mediâ, vittis lateralibus obsoletioribus ultimisque duobus segmentis fusco-nigris, margine laterali ipso subalbicante. Hypopygium parvum, lamellâ supremâ nigrâ, reniformi, lamellis superioribus parvis truncatis. Pedes fusco-nigri, femoribus adversus basim luteis, tibiarum basi fuscâ. Alae ex cinereo fuscae, stigmate, maculâ obsoletâ contiguâ et maculâ alterâ venae secundae basim tegente saturate fuscis, maculâ parvâ albidâ in cellulae basalis secundae margine postico, basi venae secundae oppositâ, cellulis discoidali et posteriore quartâ in basi obsolete albicantibus. — (Hudsons Bay Territory; Kennicot).

22. *Tipula angulata* nov. sp. ♂ et ♀ *Lutea, thoracis dorso ex flavo cinereo, vittis cinereis, mediâ postice valde attenuatâ et per lineam ex flavo cineream divisâ; antennae luteae, articulis flagelli in basi nigris; alae maculatae, fasciâ albidâ subapicali integrâ, angulatâ.* Long. corp. 6—6½ lin., Long. al. 8 lin.

Caput ex luteo cinereum, lineâ occipitis et frontis tenuissimâ fuscâ, rostro luteo. Palpi fusci vel ex luteo fusci, basi luteâ. Antennae ex luteo ochraceae, articulis flagelli praeter primum in basi nigris. Thoracis dorsum ex flavo cinereum, vittis cinereis, mediâ postice valde attenuatâ et per lineam dilute cineream dissectâ. Scutellum, metanotum et pleurae flavae. Abdomen luteum, vittâ mediâ fuscâ. Hypopygium mediocre, concolor, lamellâ supremâ nigro-fuscâ. Terebra testacea, lamellis tenuibus acutis. Pedes lutei, femorum apice, tibiis apicem versus tarsisque nigro-fuscis. Alae longae, fusco-cinereae, basim versus dilutiores, ante apicem fasciâ albidâ integrâ angulatâ ornatae; macula fusca majuscula cellularum basalium initium explet. — (Massachusets).

Nota. Foeminam possideo nuper exclusam, 5¾ lin. longam, quae antennarum articulos in basi levissime tantum nigricantes, venae secundae ramulum anteriorem valde abbreviatum et maculam

fuscam in cellularum basalium initio sitam valde minutam habet. Utrum varietas Tipulae angulatae, an species diversa sit, dubito. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

23. *Tipula tephrocephala* nov. sp. ♂. *Lutea, capite supra albido-cinereo, antennarum flagello nigro, basi articulorum singulorum pallidâ; alae cinereo-hyalinae, cellulâ costali luteâ, stigmate fusco, maculâ cum stigmatis basi cohaerente albidâ.* — Long. corp. $6\frac{1}{3}$ lin., Long. al. $7\frac{1}{2}$ lin.

Lutea. Caput supra albido-cinereum. Palpi subfusci. Antennarum scapus luteus, flagellum ex fusco luteum, articulo primo praeter apicem, reliquis in basi luteis. Vittae dorsales thoracis ochraceae, laterales angustae, media e vittis duabus angustis, intervallo lato separatis composita. Abdominis segmenta singula prope marginem posticum lineam transversam fuscam habent, ultima fere tota fusca sunt. Hypopygium parvum compressum. Pedes lutei, femorum tibiarumque apice et tarsis praeter basim fusco-nigris. Alae cinereo hyalinae, basi et cellulâ costali lutescentibus, stigmate fusco, maculâ albidâ cum stigmatis basi contiguâ, interdum usque ad cellulae discoidalis basim extensâ. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

24. *Pachyrrhina nobilis* nov. sp. ♀. *Flava, vittis thoracis atris nitidis, scutello et metanoto immaculatis, abdomine serie mediâ macularum nigrarum maculisque lateralibus candido-micantibus ornato, terebrâ brevissimâ obtusâ.* — Long. corp. $4\frac{2}{3}$ lin., Long. al. 6 lin.

Caput flavum, opacum, rostro et scapo antennarum concoloribus, flagello antennarum nigro-fusco. Thorax flavus, pleuris, scutello et metanoto concoloribus, immaculatis, vittis dorsalibus atris, nitidis. Abdomen flavum, serie mediâ macularum nigro-fuscarum maculisque lateralibus candido-micantibus: venter flavus, segmentorum anticorum margine postico et segmentis posticis fere totis candido-micantibus. Terebra flava, brevissima, obtusa. Pedes flavi, femorum tibiarumque apice et tarsis totis fusco-nigris. Alae lutescentes, limbo apicis venarumque transversalium limbis nigricantibus, stigmate fusco. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

25. *Pachyrrhina virescens* nov. sp. ♂. *Flava, capite concolore immaculato, thorace in mortuâ ex viridi flavo, in vivâ viridi, pleuris et metanoto immaculatis, vittis dorsalibus nigro et*

badio variis, lateralium parte anteriore exterius incisâ. — Long. corp. $4\frac{5}{6}$ lin., Long. al. $4\frac{5}{6}$ lin.

Caput aurantiacum, opacum, immaculatum, rostro paulo dilutiore. Scapus antennarum et primus flagelli articulus flavi, articuli reliqui nigri, longiusculi, infra excisi. Thorax in vivâ viridis post mortem flavescit; vittae dorsales nigro et badio variae, prope laterales dorsi margines opacae, in reliquo dorso nitidae; vitta media antice subito dilatata; strigula flava inde a margine laterali thoracis in anteriorem vittarum lateralium partem ducitur. Pleurae immaculatae. Abdomen flavum, serie mediâ macularum fuscarum. Hypopygium flavum, lamellis supremis lanceolatis. Pedes flavi, femorum tibiarumque apice et tarsis totis ex fusco nigris. Alae cinereo-hyalinae, stigmate subfusco. — (District Columbia; Osten-Sacken).

26. ***Pachyrrhina lugens*** nov. sp. ♀. *Atro et aurantiaco varia, fronte atro-bipunctatâ et metanoto atro-vittato; alae infuscatae; terebra acuta.* — Long. corp. $5\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $4\frac{1}{12}$ lin.

Caput aurantiacum; frons opaca, utrinque puncto atro ornata; triangulum occipitale atrum, subnitens, latum, angulo antico acuminato; facies aurantiaca, infra antennas punctum quadrangulare atrum gerens; rostrum aurantiacum, nitens, supra (margine antico tamen excepto) atrum, in lateribus nigro-fuscum; palpi et antennae nigrae. Collare aurantiacum, lateribus nigris. Thoracis vittae dorsales latissimae, atrae, nitidae. Pleurae atrae, subnitidae, aurantiaco maculatae. Scutellum atrum; metanotum aurantiacum, vittâ mediâ et maculâ posticâ atris. Abdomen aurantiacum; segmentum primum atrum; segmenta sequentia quatuor singula fasciâ posticâ atrâ opacâ ornantur, quae latera versus attenuata est et in medio abdomine ito dilatatur, ut cum fasciâ segmenti praecedentis cohaereat; segmenta sextum et septimum aurantiaca, octavum excepto margine postico atrum, nitidum. Terebra atra, apicem versus picea, lamellis tenuibus acutis. Coxae atrae; trochanteres et femora lutea, haec apicem versus nigra; tibiae nigro-fuscae, apicem versus nigrae; pedes toti nigri. Alae infuscatae, triente apicali dilutiore, cellulâ costali luteâ, stigmate et venis nigris, limbo apicis venarumque transversalium limbis nigricantibus. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

27. ***Pachyrrhina vittula*** ♂. *Frons postica et occiput subnitida, vittâ mediâ nigrâ; thoracis vittae dorsales nigrae, pleurae nigro-maculatae; abdomen nigro trivittatum, vittis lateralibus tenui-*

bus interruptis; alae cinereae, stigmate subfusco. — Long. corp. $5\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $6\frac{1}{12}$ lin.

Caput flavum; frons postice et occiput modice nitida, vittâ mediâ usque ad marginem anticum frontis productâ punctisque duobus frontalibus nigris; rostrum concolor, fusco quadrivittatum; palpi flavi; scapus antennarum flavus, flagellum nigrum, articulis singulis infra leviter excisis. Collare utrinque nigro-maculatum; vittae dorsales nigrae, nitidae, media antice modice dilatata. Pleurae maculis fusco-nigris variegatae. Scutellum luteum. Metanotum lineâ mediâ fuscâ et maculâ posticâ luteâ pictum. Abdomen nigro-trivittatum, vittâ mediâ integrâ, vittis lateralibus tenuibus et interruptis. Hypopygium mediocre, laminâ supremâ totâ et infimae basi nigris, appendicibus flavis, supremis lanceolatis. Pedes lutei, femorum tibiarumque apice et tarsis totis ex fusco nigris. Alae cinereae, stigmate subfusco. — (Hudsons Bay Territory; Kennicot).

28. ***Pachyrrhina unimaculata*** nov. sp. ♂. *Lutescens, capite thoraceque opacis, vittis hujus subochraceis et subfusco-marginatis; antennae luteae, articulis flagelli longiusculis, inde a secundo in basi, ultimis totis nigris; alae sublutescentes, stigmate fusco.* — Long. corp. $4\frac{1}{4}$ lin., Long. al. $5\frac{1}{6}$ lin.

Luteola, lateralibus thoracis marginibus pleurisque flavis. Caput opacum immaculatum, rostro concolore. Palpi nigro-fusci, articulo primo in basi, articulis reliquis in apice luteis. Antennae dilute luteae, articulis flagelli longis, basi secundi et sequentium leviter incrassatâ nigrâ, ultimis totis nigris. Thoracis dorsum opacum, vittis obsoletioribus subochraceis, subfusco marginatis et mediâ per lineas duas subfuscas divisâ. Scutellum et metanotum immaculata. Abdomen luteolum, nitidum, lateralibus segmentorum marginibus inaequaliter infuscatis. Hypopygium concolor. (Pedes desunt). Alae ex cinereo lutescentes, stigmate nigro-fusco. — (New York; Osten-Sacken).

29. ***Pachyrrhina sodalis*** nov. sp. ♀. *Caput praeter faciem et margines laterales frontis nitidum; antennarum flagellum nigrum, articulis primis ex fusco rufis; thoracis dorsum nitidum, vittis ex ochraceo fuscis; abdomen vittâ mediâ fuscâ et utrinque serie strigularum nigrarum variegatum; alae ex cinereo lutescentes, stigmate luteo.* — Long. corp. $8\frac{2}{3}$ lin., Long. al. $7\frac{1}{6}$ lin.

Caput aurantiacum, praeter faciem et praeter marginem anticum et latera frontis nitidum. Rostrum concolor, in lateribus fusco-

nigrum; palpi subfusci, articulo quarto praeter basim lutescente. Antennae nigrae, scapo ochraceo, primo vel primis duobus flagelli articulis ex fusco rufis. Thoracis dorsum nitidum, vittis latis ex fusco ochraceis, suturâ latera versus nigrâ. Scutellum et metanotum ochracea, immaculata. Pleurae flavo et ochraceo variae. Abdomen vittâ mediâ aequali fuscâ et utrinque serie laterali strigularum nigrarum variegatum, segmento ultimo fere toto nigro. Terebra badia, lamellis tenuibus acutis. (Pedes desunt.) Alae ex cinereo lutescentes, cellulâ costali et stigmate luteis. — (Connecticut.)

30. ***Pachyrrhina occipitalis***, nov. sp. ♀. ***Occiput subnitens, nigro-fasciatum; antennarum flagellum nigrum; thoracis dorsum nitidum, vittis ex ochraceo fuscis; abdomen vittâ mediâ et utrinque strigulis subobsoletis fuscis variegatum; alae ex cinereo lutescentes, stigmate luteo.*** — Long. corp. $6\frac{2}{3}$ lin., Long. al. $6\frac{5}{6}$ lin.

Caput flavum, opacum, occipite subnitente, nigro-vittato. Rostrum concolor, lateribus infuscatis. Scapus antennarum flavus, flagellum nigrum, imâ articuli primi basi flavicante. Thoracis dorsum nitidum, vittis modice latis ex ochraceo fuscis. Scutellum ochraceum; metanotum obsolete ochraceo vel subfusco vittatum. Pleurae flavo et ochraceo variae. Abdomen vittâ mediâ et utrinque strigulis lateralibus subobsoletis ex nigro fuscis pictum. Terebra ex luteo testacea, lamellis tenuibus acutis. Pedes lutei, femoribus apicem versus fuscis, tibiis tarsisque fusco-nigris. Alae ex cinereo lutescentes, cellulâ costali et stigmate luteis. — (Hudsons Bay Territory; Kennicot.)

Nota. Pachyrrhinae sodali simillima, sed fronte et occipite nigro-fasciatis diversa.

31. ***Pachyrrhina xanthostigma***, nov. sp. ♂ & ♀. ***Occiput totum nitens, immaculatum; antennae flavae, adversus apicem obscuriores, articulis flagelli praeter primum in basi nigris; thoracis dorsum nitidum, vittis ochraceis; abdomen vittâ mediâ tenui. interruptâ, fuscâ et utrinque strigulis lateralibus nigris variegatum; alae ex cinereo sublutescentes, stigmate luteo.*** — Long. corp. $6\frac{2}{3}$—8 lin., Long. al. $6\frac{1}{3}$—7 lin.

Caput flavum, occipite concolore, nitido, immaculato. Rostrum concolor, nitidum, lateribus fuscis; palpi flavi Antennae maris mediocres, articulis flagelli infra modice excisis; scapus et primus flagelli articulus flavi, reliquum flagellum ochraceum vel ex ochraceo subfuscum, basi articulorum singulorum nigrâ. Thoracis dorsum ni-

tidum, vittis dilute ochraceis, suturâ utrinque in strigulam nigram excurrente. Abdomen vittâ mediâ tenui, interruptâ, fuscâ, in foeminâ valde obsoletâ et strigulis lateralibus nigris pictum. Pedes flavi, extremo tibiarum apice tarsisque apicem versus ex fusco nigris. Alae ex cinereo lutescentes, cellulâ costali et stigmate luteis. — (Illinois.)

32. *Pachyrrhina gracilicornis*, nov. spec. ♂ & ♀. *Occiput subopacum, immaculatum; antennae tenues, mediocres, in utroque sexu aequales, fuscae, scapo primisque flagelli articulis flavis; thoracis dorsum nitidum, vittis ex fusco ochraceis; abdomen vittâ mediâ fuscâ et utrinque strigulis lateralibus nigris variegatum; alae ex cinereo lutescentes, stigmate fusco.* — Long. corp. $5\frac{5}{6}$—$7\frac{5}{6}$ lin., Long. al. $6\frac{5}{12}$—$6\frac{1}{2}$ lin.

Caput flavum, opacum, occipite subopaco, immaculato. Rostrum concolor, nitidum, lateribus fuscis; palpi subfusci, articulo ultimo fere toto et extremo praecedentium apice ochraceis. Antennae tenues, mediocres, in utroque sexu aequales, fuscae, primo vel primis flagelli articulis et scapo flavis. Thoracis dorsum nitidum, vittis ex fusco ochraceis, mediâ per lineam flavicantem dissectâ. Scutellum lutescens; metanotum obsoletissime sublutco vittatum. Abdomen vittâ mediâ integrâ fuscâ et utrinque strigulis lateralibus nigris variegatum. Lamella hypopygii suprema et infimae basis nigrae, appendices flavae. Terebra lutea, apicem versus badia, lamellis tenuibus, acutis. Pedes lutei, extremo femorum tibiarumque apice infuscato, tarsis ex luteo fuscis, apicem versus nigro-fuscis. Alae ex cinereo lutescentes, cellulâ costali luteâ, stigmate fusco.

Nota. A Pachyrrh. sodali et occipitali stigmate non luteo, sed fusco distinguitur.

33. *Spilomyia hamifera*, nov. sp. ♀. *Thorace nigro et flavo vario, abdomine flavo, maculâ basali subquadratâ fasciisque segmentorum singulorum binis nigris, alterâ basali et integrâ, alterâ mediâ et interruptâ.* — Long. corp. $7\frac{1}{2}$—8 lin., Long. al. 7 lin.

Caput laete flavum, fronte et facie anguste nigro-vittatis; genae vittulâ fusco-nigrâ notatae; antennae fuscae, in junioribus testaceae, margine articuli tertii fusco. Vertex niger; occiput nigricans, orbitâ polline subalbido conspersâ. Thorax niger, flavo-varius; dorsum in margine antico maculas quatuor, in dimidio posteriore vittulas duas hamatas, inde ab angulis posticis usque ad suturam pertinentes et lituras duas minutas, inversam literae V formam efficientes, colore

flavo pictas ostendit; in pleuris praeter humerum maculae tres laete flavae cernuntur, quarum ea, quae prope coxam anticam sita est, plerumque obsolescit. Scutellum flavum, margine basali interdum fusco vel nigro. Metanotum nigrum utrinque maculam flavam habet. Abdomen flavum; segmentum primum praeter angulos laterales nigrum; segmenta sequentia singula fascias binas angustas nigras habent, alteram margini antico contiguam et integram, alteram mediam et interruptam. Venter niger, margine segmentorum singulorum postico flavo. Pedes flavi, tibiis tarsisque anticis nigris. Alarum dimidium anterius fuscum, posterius hyalinum. — (Pennsylvania; Osten-Sacken.)

Nota. Spilomyiae genus cellulâ marginali clausâ a Milesiis, femoribus posticis dentatis a Temnostomis distinguitur.

34. ***Spilomyia fusca***, nov. sp. ♂ et ♀. ***Nigro-fusca**, **facie**, **thoracis maculis vittulisque**, **scutelli margine et fasciis in abdominis apice tribus dilute sulphureis.*** — Long. corp. $6\frac{1}{6}$—7 lin., Long. al. $5\frac{1}{2}$—$6\frac{7}{12}$ lin.

Caput dilute sulphureum, vertice, vittulâ faciei incompletâ et vittulâ frontali supra abbreviatâ nigro-fuscis; antennae fuscae, articulis duobus primis saepe nigris; occiput nigrum, orbitâ albopollinosâ. Thorax ex nigro fuscus; dorsum in margine antico maculas quatuor, in dimidio posteriore lineas duas hamatas, inde ab angulis posticis usque ad suturam pertinentes, et strigulas duas dimidiam circuli formam efficientes, colore dilute sulphureo pictas habet; in pleuris maculae tres dilute sulphureae cernuntur. Scutellum nigrofuscum, margine postico dilute sulphureo. Abdomen nigro-fuscum, breviter nigro-pilosum; segmenti secundi margo posticus angustissime flavescit; segmentum tertium limbum marginis postici aequalem et utrinque fasciae mediae initium breve dilute sulphurea ostendit; segmentum quartum fasciam anguste interruptam et limbum marginis postici latiusculum sulphureos habet. Hypopygium maris totum sulphureum. Venter ex nigro fuscus, incisuris dilute flavescentibus. Femora fusca, testaceo et sulphureo varia; tibiae anticae praeter basim sulphuream fuscae, posteriores sulphureae, apice tamen ochraceo; tarsi antici fusci, posteriores ochracei. Alae subhyalinae, in dimidio anteriore fusco-literatae. — (Pennsylvania; Osten-Sacken.)

35. ***Temnostoma obscura***, nov. sp. ♂. ***Nigra**, **abdominis segmentis singulis flavo unifasciatis**, **facie subtuberculatâ.*** — Long. corp. $4\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $4\frac{1}{3}$ lin.

Caput tomento subaureo ornatum, vertice, maculâ triangulari supra antennas, vittâ latâ faciei genisque atris, antennis fuscis. Thorax ater, humeris, suturâ, puncto utrinque supraalari minutissimo pleurarumque strigulâ flavo-pollinosis. Scutellum piceo-nigrum, subopacum. Abdomen atrum, modice nitens, segmentis singulis praeter primum fasciam aequalem, integram, modice arcuatam, flavo-pollinosam, utrinque colore atro opaco limbatam gerentibus. Hypopygium atrum, nitens. Pedes antici nigri, genibus luteis; pedes intermedii lutei, femoribus praeter apicem nigris, tibiarum apice obsolete subfusco, ultimis tribus tarsorum articulis fuscis; pedes postici lutei, femoribus praeter apicem et imam basim nigris, tibiarum dimidio apicali et ultimis tribus tarsorum articulis fuscis. Alae cinereae, obsolete sublituratae. — (Saskatchevan; Kennicot.)

Nota. A Temnostomâ bombylanti, cui simillima, faciei tuberculo minuto quidem, sed manifesto differt.

36. *Temnostoma aequalis*, nov. sp. ♂. *Nigro et flavo varia, segmentis abdominalibus singulis flavo bifasciatis, fasciâ interjectâ nigrâ in ultimo segmento anguste interruptâ, pedibus anticis posteriorumque femoribus nigris.* — Long. corp. $5\frac{1}{2}$ lin., Long. al. 5 lin.

Caput tomento subaureo vestitum, lineâ frontali, vittâ faciali genisque atris, antennis subfuscis; triangulum verticale nigrum, infra flavo-pollinosum. Thorax ater, humeris, suturâ, puncto supraalari utrinque et vittulâ pleurarum flavo-pollinosis. Scutellum nigro-aeneum, nitidum. Abdomen nigrum, modice nitens, segmentis singulis praeter primum fascias binas flavo-pollinosas, integras et in laterali abdominis margine non contiguas gerentibus; fascia anterior segmentorum singulorum a margine antico intervallo atro opaco separatur et postice limbum atrum opacum habet; fasciae segmenti quarti per vittulam mediam flavo-pollinosam conjunguntur. Hypopygium piceum. Pedes antici nigri, genibus luteis; pedes posteriores lutei, femoribus praeter apicem nigris, ultimo tarsorum articulo fusco. Alae cinereae, obsoletissime lituratae. — (English River; Kennicot.)

37. *Temnostoma alternans*, nov. spec. ♂ et ♀. *Nigro et flavo varia, segmentis abdominalibus singulis flavo bifasciatis, fasciâ interjectâ nigrâ in ultimo foeminae et in duobus ultimis maris segmentis in maculas tres dissectâ, femorum anteriorum basi, tibiis tarsisque anticis nigris.* — Long. corp. $6\frac{5}{12}$—$7\frac{2}{3}$ lin., Long. al. $5\frac{1}{3}$—$6\frac{1}{3}$ lin.

Caput tomento subaureo vestitum, vertice, vittâ frontali infra abbreviatâ, vittâ faciei integrâ genisque atris, antennis luteis. Thorax niger, humeris, maculis utrinque binis in suturâ sitis, vittulâ utrinque laterali inde ab angulo postico usque ad suturam pertinente et maculâ posticâ triangulâ tomento flavo tectis. Pleurae maculâ magnâ flavo-pollinosâ notatae. Scutellum nigro-aeneum, nitidum. Abdomen atrum, opacum, segmentis singulis praeter primum fascias binas laete flavas, ad latera abdominis conjunctas gerentibus; segmentum secundum utriusque sexus fascias anteriorem anguste, posteriorem late interruptas habet; fascia anterior segmenti tertii in utroque sexu anguste interrupta est; posteriorem, quae in foeminâ anguste interrupta cernitur, mas integram et praeter latera cum anteriore bis conjunctam habet; segmentum quartum foeminae fasciam anteriorem anguste interruptam, posteriorem emarginatam habet; in mare hae fasciae latiores et praeter latera bis conjunctae sunt, ita ut fascia interjecta atra in maculas tres dissolvatur; segmentum quintum foeminae similem picturam quam quartum maris habet. Hypopygium luteum. Pedes lutei, femorum anteriorum basi ex fusco nigrâ, tibiis anticis praeter basim tarsisque anticis totis nigris. Alae in dimidio anteriore subfusco lituratae. — (Philadelphia.)

38. **Lepidomyia calopus**, nov. sp. ♀. ***Nigra, squamulis albidis rare aspersa, basi tibiarum tarsorumque articulis primis duobus albis, alis nigro-maculatis.*** — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{12}$ lin.

Nigra, nudiuscula, subnitida. Frons plana, infra latior, lineâ mediâ impressâ subobsoletâ et utrinque maculis binis albido-pollinosis instructa. Antennae angustae, faciei subaequales; articuli primi duo testacei, secundus primo paulo longior et supra fuscus; articulus tertius elongatus, niger, basi infra testaceâ, setâ basali, nudâ, fuscâ. Thorax cum scutello et pleuris squamulis minutis albidis rare, sed aequaliter aspersus. Abdomen planum, lateribus et apice albo-squamulosis, disco squamulis destituto. Pedes atri, nitidi, subcyanescentes, tibiarum basi primisque duobus tarsorum articulis albis; femora omnia crassa, infra duplici serie spinularum nigrarum armata; tibiae subclavatae, posticae modice arcuatae. Alae hyalinae, nigro-maculatae. (Cuba; Gundlach.)

Nota. Principales generis Lepidomyiae notae hae sunt: Corpus pro portione brevinsculum et latiusculum, nudum, squamulis minutis aspersum. Facies in medio tuberculata. Antennae faciei aequales, articulo tertio duobus praecedentibus simul sumtis

duplo longiore, aequali, setâ basali tenuissimâ, nudâ. Femora omnia valde incrassata et infra spinosa; tibiae et tarsi crassi. Cellula alarum marginalis aperta; venula transversa media subnormalis; margo apicalis cellulae posteriores primae in medio sinuatus, angulo postico rotundato, antico acuto et prope ad marginem alae ducto.

39. *Xylota bicolor* nov. sp ♂. *Nigra, albido-pubescens, abdomine praeter segmentum primum toto rufo, tibiarum anteriorum basi, primo tarsorum anticorum primisque duobus intermediorum articulis albidis.* — Long. corp. 5¼ lin., Long. al. 4 lin.

Caput nigrum, albo-pollinosum, fronte valde projectâ. Antennae nigrae, articulo tertio rotundato ovato, paulo longiore quam latiore, setâ dilute ferrugineâ, apicem versus fuscâ. Triangulum verticale nigrum nitidum, pilis albidis vel ex flavo albidis vestitum. Thorax niger, obsoletissime aenescens, pube dorsi subflavicante, pleurarum albidâ. Scutellum thoraci concolor, pube exalbidâ vestitum. Primum abdominis segmentum nigrum, reliquum abdomen totum rufum, fulvo-pubescens. Hypopygium concolor, fulvo-pilosum Venter rufus, primo segmento tamen nigro. Pedes nigri, albido-pilosuli, coxis posticis inermibus, femoribus posticis modice crassis, tibiarum anticarum basi, primo tarsorum anticorum primisque duobus intermediorum articulis albidis. Alae cinereae, dimidio basali hyalino, stigmate fusco. — (Illinois; Osten-Sacken.)

Nota. Xylota bicolor a Xylotâ haematode Wied., quam eandem ac Xylotam pigram Fabr. esse persuasum habeo, oculis longius contiguis, pube totius corporis longiore, secundo abdominis segmento immaculato, hypopygio non piceo, sed rufo, femoribus posticis minus incrassatis, tibiarum denique anticarum basi, primo tarsorum anticorum primisque duobus intermediorum articulis albidis differt.

40. *Xylota barbata* nov. sp. ♀. *Latiuscula, thorace cupreo-aeneo, abdomine cyaneo-nigro, nigro-pilosulo, segmento primo segmentorumque sequentium singulorum fasciâ chalybeâ, nitidâ, albo-pilosâ, pedibus nigris, tibiarum posteriorum basi, tibiis anticis fere totis primisque tarsorum anticorum articulis ex fusco testaceis.* — Long. corp. $5\frac{1}{12}$ lin., Long. al. 5¼ lin.

Caput latum, nigrum. Frons modice projecta, nigro-pilosa. Primi duo antennarum articuli nigri, tertius nigro fuscus, subrotundus, setâ nigrâ. Facies mediocriter excavata, albido-pollinosa. Barba

albida, paulo longior quam in Xylotis plerisque. Thoracis dorsum obscure cupreo-aeneum, modice nitens, albido-pilosum; pleurae aeneo-nigrae, nitidae, albo-pilosae. Scutellum viridi aeneum, albo-pilosum. Abdomen latiusculum, cyaneo-nigrum, subopacum, pilis brevissimis nigris vestitum, segmento primo toto chalybeo, nitido, albo-piloso; segmentum secundum fasciam chalybeam, nitidam, latissimam, subintegram, pilis albis vestitam habet; segmenta sequentia duo singula prope marginem anticum fasciam similem, sed interruptam et minus latam gerunt. Pedes nigri, albido-pilosi; femora in apice nigro-pilosula, postica non incrassata; tibiae anticae ex fusco testaceae, tomento lateris antici subfulvo; tibiarum posteriorum basis et primi duo tarsorum anticorum articuli ex fusco testacei, tarsi omnes infra fulvo-tomentosi. Alae cinereae, dimidio basali hyalino, stigmate nigro-fusco, venis nigris. — (Sitka.)

41. *Xylota fraudulosa* nov. sp. ♂ et ♀. *Nigro-viridis, abdomine flavo-quadrimaculato, coxis posticis maris nec dentatis nec tuberculatis.* — Long. corp. $3\frac{2}{3}$ lin., Long. al. 3 lin.

Caput nigrum, fronte foeminae aeneo-viridi; antennae fuscae, articulis primis duobus ex fusco nigris, basi setae nigricantis luteâ; frons modice prominens et facies modice excavata. Thorax aeneo-viridis, nitens, vittis quatuor dorsalibus ex cupreo scoriaceis. Scutellum cum thorace concolor. Primum abdominis segmentum nitidum, subaeneum; sequentia duo atra, praeter margines laterales opaca, utrumque maculis binis flavis quadratis ornatum, quae maculae in mare cum marginibus lateralibus cohaerere, in foeminâ ab his separatae esse solent; segmentum quartum aeneo-viride, nitidum, in foeminâ interdum ex viridi scoriaceum; segmentum quintum foeminae et hypopygium maris cum segmento praecedente concolora. Venter flavus, segmento quarto ex nigro fusco. Pedes nigri, subvirescentes, genibus, tibiarum anteriorum basi, primis duobus vel tribus tarsorum anticorum tribusque intermediorum articulis dilute flavicantibus, intermediis tarsorum posticorum articulis haud raro fuscis vel subfuscis; femora postica valde incrassata; coxae posticae in utroque sexu inermes. Alae subhyalinae, ex fusco cinereae, stigmate subfusco. — (Illinois, Wisconsin; Osten-Sacken.)

Nota. Xylotae bifasciatae Meig. simillima, at paulo minor et pube breviore vestita est, nec setam antennarum totam nigram, sed in basi luteam habet.

42. *Chrysotoxum laterale* nov. sp. ♂. *Pedibus totis flavis, alarum limbo costali fusco, aequali.* — Long. corp. $5\frac{1}{3}$ lin., Long. al. $5\frac{1}{6}$ lin.

Antennarum articulus secundus primo longior, margine apicali testaceo; articulus tertius praecedentibus simul sumtis paulo longior. Oculi hirti. Laterales thoracis vittae subintegrae, vittulae albido-pollinosae conspicuae. Scutellum flavum, fasciolâ disci nigricante. Flavae abdominis fasciae mediocres, arcuatae, angustissime interruptae, cum limbo flavo marginis lateralis connexae; margo segmentorum singulorum posticus flavus, segmenti primi angustus, tertii latus, quarti valde dilatatus, quinti in maculam oblongam productus, ita ut inter hanc maculam et fasciam Y inversum colore nigrum pictum sit. Hypopygium flavum. Media ventris segmenta singula fasciam arcuatam anguste interruptam et marginem posticum flavos habent. Pedes toti flavi. Alae cinereo-hyalinae, fusco costae limbo angusto et aequali. — (Nebraska.)

Nota. A Chrysotoxo derivato Walk., cui affine, vittâ thoracis laterali latiore, margine abdominis flavo, picturâ ventris laetiore pedibusque totis flavis facile distinguitur.

43. *Chrysotoxum pubescens* Loew ♂ et ♀. *Pedibus totis flavis, alis adversus costam lutescentibus.* — Long corp. 6 lin., Long. al. $5\frac{7}{12}$ lin.

Syn. *Chrysotoxum pubescens* Loew, Wien. Monatschr. IV, 84.

Secundus antennarum articulus primo longior, tertius duobus praecedentibus simul sumtis in foeminâ subaequalis, in mare longior. Oculi hirti. Laterales thoracis vittae interruptae, vittulae albido-pollinosae conspicuae. Scutellum flavum, disco nigro. Flavae abdominis fasciae mediocres, arcuatae, interruptae, in angulis segmentorum posticis cum limbo marginis postici connexae; hi limbi in segmentis posterioribus latiores sunt quam in praecedentibus; limbus segmenti ultimi in maculam triangulam dilatatur, ita ut inter hanc maculam et fasciam V inversum colore nigro inscriptum sit. Venter niger, segmentis postice flavo-marginatis, duobus intermediis in mare, ultimis tribus in foeminâ maculas binas ovatas gerentibus. Hypopygium flavum. Pedes flavi. Alae cinereo-hyalinae, adversus costam lutescentes. — (Illinois; Osten-Sacken.)

44. *Chrysotoxum ventricosum* nov. sp. ♀. *Oculis hirtis, scutello toto flavo, abdominis globosi fasciis mediocribus, modice arcuatis, a margine laterali et marginis postici limbo anguste se-*

paratis vel subseparatis, femorum anteriorum basi femoribusque posticis praeter apicem nigris, — Long. corp. 5 lin., Long. al. $5\frac{1}{6}$ lin.

Tertius antennarum articulis duobus praecedentibus simul sumtis paulo longior. Oculi hirti. Laterales thoracis vittae interruptae. Scutellum totum flavum. Abdomen globosum, fasciis mediocribus, modice arcuatis, anguste interruptis, a margine laterali et a limbo marginis postici plerumque separatis, interdum per maculam luteam in postico segmenti angulo sitam cum utroque conjunctis; posticus segmenti primi margo limbum flavum aut nullum aut angustissimum habet; limbi segmentorum sequentium mediocres, ultimi in maculam triangulam dilatatus, per Y nigrum inversum a fasciâ separatam. Ultima tria ventris segmenta singula fasciam mediocrem, latissime interruptam et limbum posticum flavos habent. Pedes flavi, basi femorum anteriorum femoribusque posticis excepto apice nigris. Alae cinereae, fusco costae limbo aequali. — (Washington.)

Nota. Chrysotoxum ventricosum a foeminâ Chrysotoxi arcuati Linn. (hortensis Meig.), cui simillimum, basi abdominis nigropilosâ facile distinguitur.

45. *Microdon tristis* nov. sp. ♀. *Niger, pallide pilosus, antennis longis fusco-nigris, fronte latissimâ, scutello bidentato, abdominis oblongo-ovati segmento paenultimo duobus praecedentibus simul sumtis subaequali.* — Long. corp. $4\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $3\frac{1}{12}$ lin.

Caput aeneum nigrum, pilis ex flavo albidis vestitum. fronte latissimâ, aequali. Antennae elongatae, nigro-fuscae, articulo primo lineari, tertio subaequali, in basi testaceo. Thorax aeneo-niger, obsolete cupreo-lineatus, pilis flavescentibus vestitus. Scutellum viridinigrum, albido-pilosum, planiusculum, apice emarginato et utrinque dente minuto concolore armatum. Abdomen oblongo-ovatum, punctatum, nigrum, segmento paenultimo duobus praecedentibus simul sumtis subaequali, basi marginibusque lateralibus flavo-pilosis pilisque albidis in disco ita dispositis, ut fascia late interrupta in postico segmenti tertii margine, plagae duae magnae separatae in segmento quarto duaeque minores subcontiguae in segmento quinto pilis albidis vestitae appareant. Venter flavo-pilosus, nigro-piceus, marginibus posticis segmentorum singulorum dilute flavicantibus. Pedes nigro-picei, femorum-basi, genibus et basali tibiarum posticarum dimidio dilute testaceis; tarsi nec dilatati nec incrassati. Alae cinereae, limbis venarum transversalium nigricantibus angustis, angulis posticis cellularum posterioris primae et discoidalis rotundatis, non appendiculatis. — (Virginia)

46. ***Microdon laetus*** nov. sp. ♂ et ♀. *Laete viridis, chalybeo et violaceo splendens, oculis hirtis, fronte et facie angustis, ocellis a vertice remotis, antennis brevibus nigris, tibiis maris flavis, foeminae nigricantibus.* — Long. corp. 4 lin., Long. al. 3½ lin.

Corpus gracile, laete viride, nitidum. Caput chalybeum; facies angusta, aequalis, pilis dilutissime flavis, prope antennas pilis nigris vestita. Antennae capite breviores, nigrae, articulo tertio primi longitudinem paulo excedente. Frons angusta, nigro-pilosa, in mare supra antennas coarctata, in foeminâ aequalis; ocelli in utroque sexu a vertice remoti. Thoracis dorsum chalybeo et cupreo splendens, plagâ discoidali cupreo-circumscriptâ ornatum, nigro-pilosum, margine antico angulisque posticis tamen pallide pilosis. Scutellum nigropilosum, subconvexum, apice emarginato et utrinque denticulum nigrum gerente. Abdomen maris cylindricum, adversus apicem chalybescens; abdomen foeminae minus convexum, praeter margines fere totum violaceum. Femora chalybea; tibiae maris descripti flavae, foeminae nigricantes et chalybeo micantes; tarsi utriusque sexus nigri Alae cinereae, limbis nigricantibus venarum transversalium angustis, subobsoletis, angulis posticis cellularum posterioris primae et discoidalis rotundatis, non appendiculatis. — (Cuba; Gundlach.)

Nota. Microdon laetus Microdonti brevicorni Lw. similis et affinis est, sed oculis hirtis, abdomine minus lato et tibiis multo gracilioribus differt.

47. ***Microdon coarctatus*** nov. sp. ♂ et ♀. *Gracilis, chalybeoviridis, modice nitens, oculis subnudis, fronte et facie angustis, ocellis a vertice remotis, antennis brevibus nigris, segmenti abdominalis secundi marginibus tumidis.* — Long. corp. 3½—4 lin., Long. al. 3 lin.

Gracillimus, chalybeo-viridis, modice nitens, albido-pubescens. Frons aequalis, angusta, foeminae paulo latior quam maris, ocellis a vertice remotis. Antennae nigrae, breves, articulo tertio praecedentibus simul sumtis paulo longiore. Thoracis dorsum aeneo-viride, subtilissime punctulatum et transversim aciculatum, vittis quatuor obscure cupreis. Scutellum ex viridi nigrum, apice emarginato et utrinque denticulo nigro instructo. Abdomen maris cylindricum, obtusum, foeminae acutum; segmentum secundem paulo latius quam sequentia, disco depresso, marginibus lateralibus quasi tumidis. Alae cinereo-hyalinae, venarum transversalium limbis nigris, angulis posticis cellularum posterioris primae et discoidalis rotundatis, brevissime appendiculatis. — (District Columbia; Osten-Sacken.)

48. ***Ceria abbreviata*** nov. sp. ♂. *Nigra, flavo varia, pedunculo antennarum longo, abdominis cylindrici segmentis primis duobus solito brevioribus, costali alarum dimidio fusco.* — Long. corp $4\frac{1}{2}$—$4\frac{3}{4}$ lin., Long. al. $3\frac{1}{2}$—4 lin.

Ceriae conopsoidi simillima. Nigra subopaca. Occiput nigrum; vertex praeter angulum ocelliferum flavus; frons flava, vittâ nigrâ; facies flava, vittâ tenui, lineâ transversâ genisque nigris. Antennae nigrae, pedunculo fusco, elongato. Thorax niger, punctatus, humeris, maculâ utrinque laterali minutâ pleurarumque maculâ didymâ flavis. Scutellum flavum, basi nigrâ, margine apicali fusco. Abdomen cylindricum, praeter posticos segmentorum margines scrobiculatum, atrum, lateribus segmenti primi marginibusque posticis segmentorum secundi et quarti latius, tertii angustius flavis. Hypopygium atrum. Pedes interdum nigri, femorum basi fuscâ, genibus et imâ tibiarum basi flavis, saepius nigro-fusci inveniuntur, femorum basi et apice tibiarum tarsisque anterioribus testaceis vel ex fusco testaceis, genibus tibiarumque basi flavis. Alae hyalinae, dimidio costali adversus basim dilutius, adversus apicem saturatius fusco. — (Pennsylvania.)

Nota. Ceria abbreviata secundum abdominis segmentum multo brevius quam Ceria conopsoides habet.

49. ***Empis laevigata*** nov. sp. ♂. *Nitida, tota atra, nigropilosa; oculi contigui; halterum capitulum flavescens; alae dilute subfuscae, stigmate paulo saturatiore, subosoleto; hypopygium clausum, filamento centrali obtecto; venter ante hypopygium apophysibus duabus aduncis instructus.* — Long. corp. $3\frac{3}{4}$ lin., Long. al. $3\frac{1}{4}$ lin.

Tota atra, nitida, nigro-pilosa. Oculi contigui. Antennae tenues, nigrae. Proboscis nigra, supra ex parte fusca, tibiis anticis longior. Thoracis dorsum nigro-pilosum, polline cinerascente obsoletissime aspersum. Scutellum convexum, praeter setas marginales sex nudum. Pleurae et coxae cinereo-pollinosae, subopacae. Abdomen nigro-pilosum. Hypopygium deflexum, clausum, filamento centrali obtecto. Venter ante hypopygium apophyses duas incurvas, pilis nigris barbatas habet. Pedes simplices, tenues, pilis brevibus setisque tenuibus nigris vestiti. Halterum capitulum flavescens. Alae dilute subfuscae, stigmate subfusco, venis fuscis. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

50. ***Empis stenoptera***, nov. sp. ♂ et ♀. *Tenuis, nudiuscula, opaca, ex albo cinerascens, vittis quatuor thoracis subfuscis;*

antennae nigrae; proboscis brevis; pedes graciles, fusci, femorum tibiarumque basi luteâ, tarsis nigris; alae angustae, cinereo-hyalinae, venis nigro-fuscis, stigmate obsoleto. — Long. corp. $1\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{5}{12}$ lin.

Tenuis, nudiuscula, opaca, ex albo cinerascens, abdomine foeminae minus albicante. Caput concolor. Oculi maris separati. Antennae tenuissimae, nigrae. Proboscis nigra, capite longior, sed femoribus anticis brevior. Thoracis dorsum subfusco quadrivittatum, vittis intermediis postice, lateralibus antice valde abbreviatis. Hypopygium maris clausum, nigrum, lamellis inferis testaceis, filamento centrali obtecto. Coxae albido-cinereae, apicem versus dilute lutescentes. Pedes graciles, fusci, femorum basi et latere infero tibiarumque basi luteis, tibiis apicem versus tarsisque totis nigris. Halteres dilute flavescentes. Alae angustae, cinereo-hyalinae, stigmate obsoleto, venis fuscis. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

51. *Empis longipes* nov. sp. ♂. *Flava, antennis gracilibus nigris, capite et dorso thoracis cinereis, hoc fusco-quadrivittato, abdominis vittâ mediâ segmentorumque singulorum marginibus posticis nigricantibus, tarsis nigris; hypopygium flavum, filamento centrali crassissimo, praeter basim obtecto; alae ex luteo cinereae, stigmate concolore, obsoletissimo.* — Long. corp. $2\frac{3}{4}$ lin., Long. al. $3\frac{1}{4}$ lin.

Tenuis, nudiuscula, flavicans, supra obscurior. Caput nigrum, polline albo cinereum. Frons angustissima. Antennae tenuissimae, nigrae, stylo terminali mediocri. Proboscis primis duobus tarsorum anticorum articulis simul sumtis subaequalis. Thorax lutescens; dorsum cinereum, opacum, vittis quatuor angustis fuscis, intermediis postice, lateralibus antice valde abbreviatis, pilis minutis setisque nigris rarissimis. Scutellum lutescens. Abdomen nitidum, luteum, vittâ mediâ segmentorumque singulorum marginibus posticis nigricantibus. Hypopygium mediocre, flavum, ringens, apice nigrobarbato, filamento centrali crassissimo, concolore, praeter basim obtecto. Pedes longi, graciles, flavi, breviter nigro-pilosuli, tarsis ex nigro fuscis, articulis primis in apice, reliquis totis nigris. Alae ex luteo cinereae, venis ex fusco luteis, stigmate concolore, obsoletissimo. — (Lake George N. Y.; Osten-Sacken.)

52. *Empis rufescens* nov. sp. ♂. *Flava, supra rufescens, capite cinereo, primis tarsorum articulis in apice, reliquis totis nigris; oculi subcontigui; hypopygium longiusculum, ascendens, fila-*

mento centrali longo, exserto; alae ex luteo cinereae, stigmate dilutissime subfusco. — Long. corp. $3\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $3\frac{1}{3}$ lin.

Flava, supra rufescens. Thorax subopacus, abdomen nitidum. Caput nigrum, polline albo cinereum. Oculi in fronte subcontigui. Antennae mediocres, validiusculae, articulis primis duobus rufis, tertio nigro, stylo terminali mediocri. Proboscis flava, tibiis anticis longior. Thoracis dorsum pilis setisque raris nigris instructum. Hypopygium flavum, longiusculum, ascendens, clausum, lamellis inferis elongatis, superis parvis, breviter ovatis, filamento centrali exserto, infero, tenui, arcuato, flavo. Pedes graciles, pilis setulisque brevibus nigris vestiti, flavi, articulis tarsorum primis duobus in apice, ultimis tribus totis nigris. Alae ex luteo cinereae, venis fuscis, adversus costam et basim ex fusco luteis, stigmate dilutissime subfusco. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

53. *Rhamphomyia umbrosa* nov. sp. ♂ et ♀. *Nigra, nigro-pilosa; hypopygium parvum, ascendens, apice badio, filamento centrali mire incrassato, atro, praeter basim obtecto; alae ex fusco nigrae, basi lutescente.* — Long. corp. $2\frac{3}{4}$ lin., Long al. $3-3\frac{1}{12}$ lin.

Tota nigra, nigro-pilosa, supra polline cinereo leviter aspersa. Oculi contigui. Antennae mediocres, nigrae, articuli secundi margine apicali obsolete fusco, articulo tertio oblongo-lanceolato, stylo terminali brevissimo. Proboscis nigra, femoribus anticis aequalis; palpi concolores. Abdomen compressum; hypopygium parvum, ascendens, clausum, nigrum, apicem versus badium; filamentum centrale inferum, crassissimum, atrum, nitidum, praeter basim obtectum. Pedes simplices, pilis setisque nigris instructi. Halteres ex luteo subfusci. Alae ex fusco nigrae, basi lutescente, stigmate nigro; alae foeminae modice dilatatae. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

54. *Rhamphomyia basalis* nov. sp. ♀. *Cinerea, ventre, coxis pedibusque dilute lutescentibus, tibiis apicem versus tarsisque totis ex nigro fuscis, tibiis posticis breviter squamato-ciliatis; alae dilatatae, nigrae, basi hyalinâ.* — Long. corp. $2-2\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{5}{6}$ lin.

Cinerea, opaca. Caput ex albo cinereum; antennae nigrae, longiusculae, angustae, articulis primis duobus breviter nigro-pilosis, articulo tertio oblongo-lanceolato, stylo terminali mediocri. Proboscis fusca, femoribus anticis paulo brevior. Thoracis dorsum subfusco obsolete trivittatum, pilis brevibus setulisque raris nigris instructum. Abdomen ex fusco cinereum, subnitens, ventre fere toto

pallido; styli anales longiusculi, lineares. Coxae et pedes dilute lutescentes; femora apicem versus obsolete subfusca; tibiae adversus apicem nigro-fuscae, posticae leviter compressae, utrinque pilis nigris modice dilatatis ciliatae. Halteres exalbidi. Alae valde dilatatae, nigrae, basi hyalinâ, stigmate obsoletissimo — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

55. *Rhamphomyia macilenta* nov. sp. ♂. — *Cinerea, opaca, thorace obsoletissime vittato, abdomine nigro, nitido, hypopygio parvo concolore, filamento centrali crasso, praeter basim obtecto; oculi separati; antennae longae, nigrae; pedes lutei, extremo tibiarum apice infuscato, tarsis ex fusco nigris, femoribus infra nigro-setulosis; halterum capitulum albicans; alae angustae, cinereo-hyalinae, stigmate subfusco, venis fuscis.* — Long. corp. $2\frac{5}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{7}{12}$ lin.

Macra, cinerea, opaca, nudiuscula. Caput concolor, oculis per frontem latam separatis. Antennae longae, tenues, nigrae, articulis primis duobus breviter nigro-pilosis, tertio sublineari, stylo terminali mediocri. Proboscis fusca, femoribus anticis brevior; palpi lutei, apice fusco. Thoracis dorsum vittis obscurioribus obsoletissimis vel nullis, pilis setisque nigris brevibus et raris. Abdomen nigrum, nitidum, supra pilis nigris, utrinque et infra pallidis vestitum. Hypopygium nigrum, parvum, lamellis omnibus brevibus, ovatis, breviter nigro-pilosis, filamento centrali crassissimo, prater basim obtecto. Coxae luteae, anticae basim versus subfuscae. Pedes lutei, breviter nigro-pilosi, femoribus infra nigro-setulosis, extremo tibiarum apice infuscato, tarsis ex fusco nigris. — Alae angustae, cinereo-hyalinae, stigmate subfusco, venis fuscis, basim versus lutescentibus. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

Nota. Foeminam unam possideo, quae fortasse uxor Rhamphomyiae macilentae est, sed a mare, quem descripsi, differt vittis dorsalibus tribus distinctis et capitulo halterum fusco. Altera foemina cum hac congruit quidem, sed et coxas omnes praeter apicem infuscatas et femorum apicem fuscum habet; tibiarum color jam inde a medio in fuscum abit. Pili pedum utriusque foeminae non differunt, nec alii sunt, quam quales in foeminâ ejus modi maris expectaveris. Duae aliae foeminae ab eâ, quam altero loco notavi, non recedunt nisi alis magis obscuratis palpisque nigro-fuscis.

56. ***Rhamphomyia rustica*** nov. sp. ♂ et ♀. *Capite, thorace non vittato scutelloque cinereis, abdomine lutescente, segmentis vel posticis vel omnibus praeter marginem posticum piceis vel nigris; antennae flavae, articulo tertio praeter basim nigro; coxae lutescentes, rarius excepto anticorum apice piceae; pedes antici lutei, tarsis nigris; pedes postici in speciminibus maturis toti nigri, in immaturis ex parte, interdum maximâ ex parte dilute lutescentes.*

♂. *oculi contigui; filamentum centrale hypopygii flexuosum, prope basim fractum.*

♀. *styli anales longiusculi, lineares.*

Long. corp. $2\frac{1}{6}$—$2\frac{1}{3}$ lin., Long. al. $2\frac{5}{12}$—$2\frac{7}{12}$ lin.

Caput obscure cinereum, nigro-pilosum, oculis maris contiguis. Antennae graciliores, dilute flavescentes, articulo tertio praeter basim nigro, stylo terminali mediocri. Proboscis fusca, coxis anticis paulo longior; palpi lutei, apice obscure fusco, interdum toti fusci. Thorax cinereus, vittis obscurioribus nullis, pilis setisque raris nigris. Scutellum concolor. Abdomen in speciminibus nuper exclusis luteolum, segmentis ultimis praeter marginem posticum piceis; specimina matura praeter margines segmentorum singulorum posticos totum abdomen nigrum habent. Coxae plerumque lutescentes, non nunquam solo anticarum apice excepto piceae; pedes antici lutescentes, femorum basi, tibiarumque apice interdum infuscatis, tarsis semper nigris; pedes posticos specimina matura totos nigros, immatura saepe maximâ ex parte lutescentes habent, tibiarum apice tamen tarsisque semper obscuris. Halteres dilute flavescentes. Alae cinereo-hyalinae vel cinereae, venis fuscis et stigmate subfusco; basis venae tertiae plerumque umbrâ subfuscâ circumfusa est. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

57. ***Rhamphomyia luteiventris***, nov. sp. ♂. *Cinerea, vittis thoracis tribus nigricantibus, abdomine supra nigro, infra dilute flavicante, coxis pedibusque flavicantibus, tibiis anterioribus in apice subfuscis, posticis exceptâ basi tarsisque omnibus nigris; oculi contigui; antennae nigrae, articulo secundo fusco; proboscis coxis anticis paulo longior; hypopygium nigrum, lamellis intermediis subovatis, superis lanceolatis, porrectis, filamento centrali flexuoso; alae cinereo-hyalinae.* — Long. corp. $2\frac{1}{4}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{4}$ lin.

Caput obscure cinereum, oculis contiguis. Antennae graciles, nigrae, articulis primis duobus breviter nigro-pilosis, secundo praeter basim fusco, stylo terminali breviusculo. Proboscis fusca, coxis anticis paulo longior. Thorax cinereus, opacus, vittis tribus nigris

subobsoletis, pilis setisque raris nigris. Scutellum concolor. Abdomen supra nigrum, nitidum, utrinque et infra dilute flavescens. Hypopygium mediocre, nigrum, ringens, lamellis intermediis subovatis, obtusis, superis lanceolatis, porrectis, omnibus nigro-pilosis, filamento centrali luteo, tenui, flexuoso, prope basim non fracto. Pedes cum coxis dilute flavicantes, nigro-pilosi; tibiae anteriores in apice nonnihil fuscescunt; tibiae posticae praeter basim et tarsi omnes nigri. Halteres dilute flavicantes. Alae cinereae, venis fuscis, stigmate subfusco. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

Nota. A Rhamphomyiâ mutabili ventre pallido, coxis dilutioribus et oculis maris contiguis differt.

58. *Rhamphomyia nigricans* nov. sp. ♂. *Tota nigra, opaca, nigro-pilosula, thorace et abdomine polline albido cinerascentibus; oculi contigui; proboscis mediocris; alae hyalinae, venis tenuibus fuscis, stigmate subobsoleto; hypopygium nigro-pilosum, filamento centrali flexuoso.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Tota nigra, antennis, proboscide, palpis, halteribus pedibusque concoloribus. Caput nigro-pilosum; oculi contigui; antennae tenues; proboscis coxis anticis longior. Thorax polline raro albido subcinerascens, vittis tribus obscurioribus obsoletis, nigro-pilosus. Scutellum concolor. Abdomen polline confertiore albido aspersum, obscure cinerascens, nigro-pilosum. Hypopygium nigrum, nigro-pilosum, filamento centrali concolore, tenui, flexuoso. Pedes simplices, pilis setisque tenuibus nigris vestiti. Halteres nigri. Alae hyalinae, costâ venisque costae vicinis nigris, venis reliquis obscure fuscis, stigmate cinerascente, subobsoleto. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

59. *Rhamphomyia hirtipes* ♂. *Nigra opaca, antennis, proboscide mediocri, halteribus, hypopygio pedibusque concoloribus; alae hyalinae, venis tenuibus fuscis, stigmate subobsoleto; pili et setulae corporis nigrae, pili breviusculi in lateribus abdominis et ventre dilutissime lutescentes, pili longiusculi in hypopygio et in tibiis posticis (harum basalibus tamen exceptis) paulo saturatius luteoli.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Minuta, nigra, opaca pilosula. Caput concolor, nigro-pilosum, oculis separatis. Antennae mediocres, nigrae; proboscis nigra, coxis anticis paulo longior; palpi nigri. Thorax nigro-pilosus, vittis tribus obscurioribus obsoletis, pleuris levissime albido-pollinosis. Abdomen opacum, pilis dorsalibus nigricantibus, lateralibus ventrali-

pilis dorsalibus nigricantibus, lateralibus ventralibusque dilutissime lutescentibus. Hypopygium concolor, subglobosum, pilis longiusculis luteolis instructum, filamento centrali obscuro, tenui, arcuato. Pedes toti nigri, pilis longioribus et confertioribus nigris vestiti; pili tibiarum posticarum reliquis longiores, prope tibiarum basim nigri, in tibiis reliquis sordide luteoli. Halteres nigri. Alae hyalinae, costâ venisque primis nigris, reliquis ex nigro fuscis, stigmate cinereo, subobsoleto. — (New Hampshire; Osten Sacken).

60. **Rhamphomyia irregularis** nov. sp. ♀. *Albo-pollinosa, thorace obsolete bivittato, abdomine candido micante, pedibus totis nigris, alis albidis, cellulâ discoidali maximâ.* — Long. corp. $1\frac{7}{12}$ lin., Long. al. $1\frac{2}{3}$ lin.

Nigricans, confertim albo-pollinosa, nudiuscula. Caput concolor, antennis brevibus nigris. Proboscis nigra, coxis anticis paulo longior. Thoracis dorsum obsolete cinereo bivittatum, pilis setulisque rarissimis nigris. Scutellum concolor. Abdomen candido-micans, praeter basim albido-pilosam subnudum, extremo apice cum stylis analibus nigro. Pedes cum coxis nigri, brevissime nigro-pilosuli. Halteres albi. Alae albidae, venis validiusculis dilutissime flavicantibus, apicem versus paulo obscurioribus, costâ et venae primae apice atris, stigmate subobsoleto; cellula discoidalis elongata, permagna; cellulae posteriores secunda et tertia parvae. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

Nota. Rhamphomyiam irregularem leucopterae uxorem esse crederem, nisi pili omnes multo breviores, pili abdominis omnes albidi alarumque venae crassiores essent.

61. **Rhamphomyia candicans** nov. sp. ♀. *Ex cinereo albicans, antennis nigris, proboscide brevi, coxis pedibusque flavis, tibiis anterioribus adversus apicem, posticis praeter basim tarsisque omnibus ex fusco nigris; alae exalbidae, stigmate obsoleto.* — Long. corp. 2 lin., Long. al. $1\frac{1}{12}$ lin.

Ex cinereo albicans, opaca, nudiuscula. Caput concolor, antennis mediocribus nigris. Proboscis nigra, coxis anticis longior, femoribus brevior. Thorax non vittatus, pilis setulisque minutis, raris, nigris. Scutellum concolor. Abdomen albido-pilosum, adversus apicem subnudum. Coxae flavicantes, posticarum basi cinereâ. Pedes flavicantes, nigro-pilosuli setulisque nigris rare aspersi, tibiarum anteriorum apice infuscato, tibiis posticis tarsisque omnibus ex fusco nigris. Halteres albidi. Alae albidae, venis concolo-

ribus, costâ et venae primae apice nigris, stigmate obsoleto. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

62. *Hilara tristis* nov. sp. ♂ et ♀. *Nigra, opaca, nigro-pilosa, halteribus pedibusque concoloribus, genibus testaceis, alis nigricantibus, metatarso antico maris modice incrassato.* — Long. corp. 2 lin., Long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Tota nigra, nigro-pilosa, opaca, antennis, capite, hypopygio, halteribus pedibusque concoloribus, halterum pedunculo genibusque testaceis. Frons tota velutina. Thoracis dorsum polline rarissimo, dilute cinereo aspersum, vittis tribus obscurioribus subobsoletis. Pedes graciles, pilis brevibus setisque raris nigris vestiti, metatarso maris antico modice incrassato, oblongo, praeter pilos ordinarios supra setulas tres vel quatuor gerente. Alae nigricantes, stigmate nigro. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

63. *Hilara seriata* nov. sp. ♂. *Cinerea, nigro-pilosa, abdomine nigro, antennis nigris, palpis, halteribus, coxis pedibusque testaceis, tibiis anticis adversus apicem, reliquis praeter basim fuscis, tarsis ex fusco nigris; primus tarsorum anticorum articulus incrassatus; tibiae intermediae pilis longioribus erectis hirtae; alae cinereae, stigmate subnigricante.* — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., Long. al. $1\frac{3}{4}$ lin.

Frons atra, vittulâ ab antennis ascendente nigrâ. Antennae nigrae; palpi testacei. Thorax cinereus, opacus, vittis nullis, pilis setulisque nigris in series regulares dispositis. Scutellum concolor. Abdomen nigrum, modice nitens, nigro-pilosum. Pedes cum coxis testacei, tibiis anticis adversus apicem, posterioribus praeter basim fuscis, tarsis omnibus ex fusco nigris; metatarsus anticus incrassatus, ovatus; tibiae intermediae pilis erectis et paulo longioribus hirtae. Halteres testacei. Alae cinereae, stigmate ex cinereo subnigricante. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

Nota. Simillima Hilarae gracili, sed pili thoracis in series regulares dispositi tibiarumque intermediarum hirsuties differentiam demonstrant.

64. *Hilara testacea* nov. sp. ♂. *Obscure lutea, opaca, capite, abdominis fasciis, hypopygio et tarsis nigricantibus, breviter et rare nigro-pilosa, tibiis intermediis tamen infra pilos longiores gerentibus; metatarsus anticus incrassatus; alae cinereae, adversus costam lutescentes, stigmate subfusco.* — Long. corp. $1\frac{1}{3}$—$1\frac{5}{12}$ lin., Long. al. 2 lin

Obscure lutea, opaca, pilis nigris brevioribus rarioribusque vestita. Caput nigrum, polline albido cinerascens. Antennarum articuli basales ex fusco lutei, tertius cum stylo niger. Palpi lutei. Abdomen fasciis basalibus segmentorum singulorum nigricantibus, in segmentis primis plerumque obsoletis, cingulatum. Pedes reliquo corpore paulo dilutiores, tarsis totis fuscis, tibiarum posticarum apice interdum infuscato; metatarsus anticus incrassatus; tibiae intermediae infra pilis longis instructae. Halteres lutescentes. Alae cinereae, adversus costam lutescentes, stigmate subfusco. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

Nota. Cavendum ne cum Hilarâ luteâ commisceatur, quae alas minus cinereas tibiasque intermedias infra breviter pilosas habet.

65. *Hormopeza brevicornis* nov. sp. ♂ et ♀. *Obscura, tarsorum anticorum articulis oblongis, longitudine decrescentibus, tertio antennarum articulo globoso, alis exalbidis, stigmate nullo.* — Long. corp. $1\frac{2}{3}$—$1\frac{3}{4}$ lin., Long. al. $1\frac{5}{6}$ lin.

Caput nigrum, oculis maris contiguis. Frons supra antennas nitida. Antennae brevissimae; articuli primi duo breves, flavicantes; articulus tertius globosus, niger; stylus terminalis brevis, niger, articulo basali crasso, apicali tenui. Proboscis brevissima, crassa, obtusa, nigro-fusca; palpi minuti, recurvi, sordide albicantes. Thorax niger, cinereo-pollinosus, opacus, pilis pallidis vestitus. Scutellum concolor. Abdomen nigrum, nitidum, pallide pilosum, hypopygio concolore. Pedes fusci, coxarum apice, imâ femorum basi genibusque plerumque luteis. Halterum capitulum subfuscum. Alae exalbidae, venis pallidis, stigmate nullo. — (Yukon River; Kennicot).

66. *Hormopeza nigricans* nov. sp. ♂. *Nigra, tarsorum anticorum articulis oblongis, longitudine decrescentibus, tertio antennarum articulo ovali, alis cinereo-hyalinis, stigmate fusco.* — Long. corp. $2\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{12}$ lin.

Tota nigra, pallide pilosa. Caput concolor, oculis contiguis. Antennae breves, nigrae, articulo tertio ovali, styli brevis articulo basali crasso, apicali tenui. Proboscis brevissima, crassa, obtusa, ex fusco nigra; palpi minuti, recurvi, sordide albidi. Thorax cinereo-pollinosus, opacus. Scutellum concolor. Abdomen nigrum, nitidum, hypopygio concolore. Pedes nigri, coxarum apice genibusque extremis luteis. Halterum capitulum ex fusco nigrum. Alae cinereo-hyalinae, stigmate venisque fuscis. — (Yukon River; Kennicot).

Nota. Hormopezae brevicornis et nigricans ab Hormopezâ obliteratâ distinguuntur tarsorum anticorum structurâ, quos Zetterstedtius in Hormopezâ obliteratâ moniliformes esse affirmat, quum illae articulos eorum oblongos habeant. Ceteras notas, quas Zetterstedtius generi Hormopezae tribuit, iis esse constat, unde dubitatio nulla, quin in hoc genere ponendae sint.

67. *Gloma rufa* nov. sp. ♀. *Flava, supra rufescens, capite cinereo, antennarum articulo terminali et setâ nigris, tarsis apicem versus fuscis.* — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., Long. al. 3 lin.

Flava, supra rufescens, nigro-pilosa. Caput nigrum, polline albo cinereum, facie fere totâ, proboscide palpisque flavis. Primi duo antennarum articuli breviusculi, flavi, nigro-pilosi; articulus tertius niger, ovatus, apice subacuto, setâ crassiusculâ concolore. Tarsi apicem versus fusci. Alae ex cinereo lutescentes, stigmate paulo saturatius tincto, venis ex fusco luteis, adversus basim et costam luteis. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

68. *Gloma obscura* nov. sp. ♂. *Nigra, halteribus, abdominis basi pedibusque ex testaceo flavis, ultimis duobus tarsorum articulis nigris.* — Long. corp. $2\frac{5}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{11}{12}$ lin.

Nigra, nigro-pilosa. Caput concolor, proboscide fuscâ, palpis nigricantibus. Antennae nigrae, articulis primis duobus breviusculis, nigro-pilosis, tertio breviter ovato, setâ crassiusculâ concolore. Abdomen nitidum, nigrum vel fusco-nigrum, basi utrinque ex testaceo flavâ, subpellucidâ. Coxae et pedes flavicantes, femoribus tibiisque posticorum apicem versus infuscatis, ultimis duobus tarsorum articulis nigris. Halteres flavescentes. Alae ex cinereo subfuscae, stigmate paulo obscuriore, venis fuscis. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

69. *Cyrtoma femorata* nov. sp. ♀. *Atra, thorace cinereo-pollinoso, tibiis posticis luteis, apicem versus atris, tertio antennarum articulo lanceolato, femoribus posticis incrassatis.* — Long. corp. $1\frac{11}{22}$ lin., Long. al. 2 lin.

Atra, antennis concoloribus, articulo tertio lanceolato. Thorax cinereo-pollinosus, subopacus; scutellum concolor. Pili thoracis et scutelli rari, nigri. Abdomen nitidum, pilis raris albidis aspersum, segmentis singulis in dimidio anteriore obsolete cinereo-pollinosis. Pedes longi, atri, nigro-pilosi, extremo coxarum apice genibusque extremis testaceis; femora postica incrassata; tibiae anticae validi-

usculae, prope basim crassiores; tibiae posticae crassae, oblique truncatae, luteae, apicem versus nigrae. Halteres sordide albicantes. Alae ex fusco cinereae, venis fuscis, stigmate obsoletiore subfusco. — (New Hampshire; Osten Sacken).

Nota. Nomen generis apud Graecos neutrum est, sed ab usu, qui adhuc obtinuit apud dipterologos, nunc quidem cedere nolui.

70. *Cyrtoma procera* nov. sp. ♀. *Atra, thorace cinereo-pollinoso, tibiis posticis luteis, apicem versus atris, tertio antennarum articulo lanceolato, femoribus posticis incrassatis.* — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{4}$ lin.

Atra, antennis concoloribus, articuli tertii dimidio basali latiusculo et ovato, apicali tenui et subulato. Thorax leviter cinereo-pollinosus; scutellum concolor. Pili thoracis et scutelli nigri. Abdomen nitidum, pilis albidis aspersum. Pedes longi, atri, nigro-pilosi, coxarum apice genibusque luteis; femora postica incrassata; tibiae anticae validiusculae, basim versus vix crassiores; tibiae posticae crassae, oblique truncatae, luteae, apicem versus nigrae. Halteres sordide albicantes. Alae ex fusco cinereae, venis fuscis, stigmate obsoletiore subfusco. — (Sitka; Kolenati).

Nota. Speciei praecedenti similis, sed major antennarumque figurâ diversa.

71. *Tachypeza rapax* nov. sp. ♂. *Nigra; alae subfuscae, in basi albae, venulâ transversâ basali posteriore instructae; femora antica nigro-maculata, infra pilis pallidis ciliata, tibiae intermediae infra prope apicem breviter excisae.* — Long. corp. $1\frac{5}{12}$ lin., Long. al. $1\frac{5}{12}$ lin.

Simillima Tachypezae truncorum. Caput nigrum, subcinerascens; antennae flavae, articulo tertio saepe fusco; palpi albi; proboscis nigra. Thorax niger, dorso et scutello subopacis, pleuris nitidis. Abdomen plerumque ex fusco nigrum, in speciminibus immaturis adversus basim sordide lutescens. Venter concolor, margine postico segmenti ultimi pilis longiusculis nigris ciliato. Hypopygium nigrum nitidum, supra pilis brevissimis hirtum. Coxae flavae, anticae prope apicem maculâ rotundâ nigrâ notatae. Trochanteres antici flavi, infra nigri. Femora antica crassissima, flava, in latere posteriore prope apicem puncto et atomo, in latere anteriore maculâ triangulâ basali, lineolis subtribus intermediis per puncta conjunctis et puncto subapicali, omnibus nigris variegata. infra pilis pal-

lidis, tenuibus et longiusculis ciliata. Femora intermedia crassa, flava. Femora postica fusca vel nigro-fusca, basi flavâ, latere supero ex flavo testaceo. Tibiae anticae crassae, fuscae, sed latere supero toto et infero praeter apicem dilutissime flavicantibus. Tibiae intermediae fuscae vel subfuscae, supra et infra praeter apicem dilute flavicantes, ante apicem infra leviter excisae. Tibiae posticae dilute flavicantes, triente apicali nigro. Tarsi antici dilute flavicantes, articulo primo infra fusco, ultimis duobus nigris. Tarsi intermedii pallide flavicantes, articulis ultimis duobus nigro-fuscis. Tarsi postici ex nigro fusci-articulis primis duobus praeter apicem nigricantem exalbidis. Alae infuscatae, basi albidâ et venulâ transversâ basali posteriore manifestâ; cellula posterior prima submarginali paulo latior; venae longitudinales tertia et quarta subparallelae, quartae apice tamen paulo recurvo. — (Illinois, Le Baron).

Nota. Foeminam possideo in marium supra descriptorum societate captam, quae coxas anticas immaculatas, femora antica tota flavicantia utrinque atomo subapicali nigro notata, femora intermedia minus crassa et fuscum posticorum colorem minus extensum habet quam mas, quocum in reliquis notis congruit.

72. *Tachypeza rostrata* nov. sp. ♂. *Nigra, proboscide pedibusque flavis, femoribus posticis tibiisque omnibus ex parte flavis, harum intermediis infra prope apicem leviter excisis; alae subfuscae, in basi albae, venulâ basali posteriore instructae.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $1\frac{5}{12}$ lin.

Caput nigrum; antennae flavicantes, articuto tertio subfusco; palpi albi; proboscis flava, extremo apice nigro. Thoracis dorsum et scutellum nigra, subopaca; pleurae nigrae, nitidae. Abdomen ex fusco nigrum, basi dilutiore, hypopygio nigro, nitido, pilis longioribus non instructo. Pedes cum coxis flavi. Femora antica valde incrassata; intermedia crassa; postica tenuia et praeter apicem et basim fusca. Tibiae anticae modice crassae, supra et infra flavicantes, utrinque subfuscae; tibiae intermediae utrinque fuscae, supra flavicantes, infra subfuscae vel flavicantes et prope apicem levissime excisae; tibiae posticae basi tantum extremâ exceptâ fusco-nigrae. Tarsi dilute flavicantes, adversus apicem ex fusco nigri. Alae praeter basim albidam infuscatae, venulâ transversâ basali posteriore manifestâ sed brevi, venis longitudinalibus tertiâ et quartâ subparallelis, quartae apice tamen leviter recurvo. — (New Hampshire).

73. *Tachypeza clavipes* nov. sp. ♂. *Atra, nitida, pedibus concoloribus, tibiarum anticarum apice valde incrassato; alae*

praeter basim albidam nigricantes, venulâ transversâ basali posteriore instructae. — Long. corp. $1\frac{1}{3}$ lin., Long. al. $1\frac{1}{3}$ lin.

Caput nigrum; antennae nigro-fuscae; proboscis nigra; palpi albi. Thorax ater, nitidus, lineâ dorsi mediâ cinereo-pollinosâ. Abdomen fusco-nigrum, hypopygio atro, supra pilis brevibus nigris hirto. Coxae atrae, extremo apice piceo, anticae albo-pollinosae. Pedes atri, nitidi, tibiis anticis supra piceis tarsorumque posteriorum basi testaceâ. Femora antica modice incrassata, infra pilis longiusculis albis ciliata; tibiarum anticarum apex valde incrassatus. Femora intermedia posticis paulo crassiora, infra prope basim setulis aliquot nigris praedita; tibiae intermediae simplices. Halteres albi. Alae venulâ transversâ basali posteriore instructae, praeter basim albidam nigricantes, liturâ obsoletâ cinerascente inde a basi usque in cellulam posteriorem secundam pertinente; venae longitudinales tertia et quarta subparallelae, apice quartae obsolete recurvo. — (Illinois; Le Baron).

Nota. Foeminae duae, unâ cum mare descripto captae, eandem alarum picturam eundemque venarum cursum ostendunt, sed antennis praeter apicem infuscatum flavis, thoracis dorso toto polline cinereo leviter asperso et minus nitido, coxis omnibus dilute flavicantibus, femoribus anterioribus infra et antice flavis, tibiis anterioribus fuscis supra flavicantibus, tibiis posticis praeter apicem nigrum et basim subfuscam flavicantibus, et tarsis anterioribus praeter apicem pallidis discrepant. — Incertum est, utrum eadem alarum pictura eademque venarum configuratio has foeminas cum mare congregari jubeant, an valeat notarum reliquarum diversitas.

74. *Tachypeza pusilla* nov. sp. ♀. *Nitida, atra, proboscide palpisque concoloribus, pleurarum maculâ albicante nullâ, pedibus luteo et nigro variis; alae cinereae, dimidio costali inde a venae tertiae origine usque ad apicem infuscato, venulâ transversâ basali posteriore nullâ.* — Long. corp. $\frac{11}{12}$—1 lin., Long. al. $\frac{5}{6}$ lin.

Minuta, atra, nitida. Caput atrum, proboscide et palpis concoloribus. Primi duo antennarum articuli fusci; articulus tertius in speciminibus descriptis deest. Thorax totus ater, nitidus, scutello concolore, pleuris immaculatis. Abdomen latiusculum, atrum, nitidum. Coxae luteae. Pedes antici lutei, femoribus tibiisque supra, tarsis totis nigro-fuscis. Pedes intermedii cum anticis concolores, tibiis totis tamen fusco-nigris, femoribus infra nigro-setulosis. Pedes postici praeter luteam femorum basim fusco-nigri, imâ tarsorum

basi rarius luteâ. Halteres albidi. Alae latiusculae, subcinerascentes, dimidio costali inde a venae tertiae basi usque ad apicem infuscato, venis longitudinalibus tertiâ et quartâ parallelis, venulâ transversâ basali posteriore nullâ. — (Illinois; Le Baron).

Nota. Variat femoribus anticis supra minus infuscatis.

75. *Platypalpus aequalis* nov. sp. ♂ et ♀. *Niger, nitidus, thoracis dorso polline cinereo, pleuris praeter plagam inferam polline albido opacis, pedibus flavis, singulis tarsorum articulis in apice nigris; antennae nigrae, articulo tertio lanceolato; palpi testacei; cellulae alarum basales prima et secunda aequales; vena longitudinalis sexta basim versus abbreviata.* — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., Long. al. $1\frac{5}{6}$ lin.

Caput cinereum, fronte et facie albidioribus. Antennae nigrae vel fusco-nigrae, articulo tertio lanceolato. Palpi testacei, vel subfusci; proboscis nigra. Thoracis dorsum et scutellum polline cinereo opaca. Pleurae praeter plagam nigram inferam, inter coxas anticas et intermedias sitam, polline ex cinereo albido aspersae. Abdomen nigrum, nitidum, ventre maris plerumque toto concolore, foeminae luteo, apicem versus nigro; hypopygium nigrum nitidum. Pedes cum coxis flavi, articulis singulis tarsorum in apice nigris, articulo ultimo toto nigro; femora antica valde incrassata, intermedia anticis crassiora, infra praeter pilos longiores flavicantes setulis nigris ciliata; dens apicalis tibiarum intermediarum magnus. Alae ex cinereo sublutescentes, venis luteis, apicem versus paulo obscurioribus, longitudinali tertiâ apicem versus vix levissime incurvâ, quartae subparallelâ; cellulae basales prima et secunda aequales; venula transversa basalis posterior integra, sed adversus finem posteriorem tenuior; vena longitudinalis sexta adversus basim abbreviata. — (Illinois; Le Baron).

76. *Platypalpus trivialis* nov. sp. ♀. *Niger, nitidus, thoracis dorso polline cinereo, pleuris praeter plagam inferam polline albido opacis, pedibus flavis, singulis tarsorum articulis in apice nigris; antennae nigrae, articulo tertio breviter ovato; palpi flavi; alarum cellula basalis prima brevior quam secunda; vena longitudinalis sexta basim versus non abbreviata.* — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., Long. al. 2 lin.

Caput cinereum, facie confertim albo-pollinosâ. Antennae nigrae, articulo tertio breviter ovato. Palpi flavi; proboscis nigra. Thoracis dorsum et scutellum polline cinereo opaca. Pleurae prae-

ter plagam nigram nitidam, inter coxas anticas et intermedias sitam, polline albido aspersae. Abdomen nigrum, nitidum, ventre concolore. Pedes cum coxis flavi, articulis singulis tarsorum in apice nigris; femora antica modice, intermedia valde incrassata et infra praeter pilos longiores flavicantes setulis nigris ciliata; dens apicalis tibiarum intermediarum magnus. Alae cinereo-hyalinae, venis validis subfuscis, basim versus ex fusco lutescentibus, longitudinali tertiâ apicem versus incurvâ et cum quartâ convergente; cellularum basalium prima brevior quam secunda; venula transversa basalis posterior recta, integra et vena longitudinalis sexta basim versus non abbreviata. — (Maine, District Columbia; Osten-Sacken).

77. *Platypalpus pachycnemus* nov. sp. ♂. *Niger, nitidus, thoracis dorso et scutello polline cinereo opacis; antennae fuscae, articulo tertio breviter ovato; pedes fusco et testaceo varii, tibiis anticis incrassatis; alae cinereae, venâ longitudinali tertiâ incurvâ, cellulâ basali primâ longiore quam secunda.* — Long. corp. $1\frac{1}{6}$ lin., Long. al. $1\frac{3}{4}$ lin.

Caput ex nigro cinereum, facie confertim albo-pollinosâ. Antennae saturate fuscae, articulo tertio breviter ovato. Proboscis nigra; palpi fusci, albicantes. Thoracis dorsum polline cinereo leviter aspersum, subopacum, pallido-pilosulum. Scutellum concolor. Pleurae praeter plagam nitidam inferam albido-pollinosae. Abdomen totum nigrum, nitidum, ventre et hypopygio concoloribus. Coxae dilute testaceae, basim versus fuscae. Femora nigro-fusca, apice omnium posticorumque latere supero dilute testaceis; femora antica leviter, intermedia valde incrassata. Tibiae anticae incrassatae, fuscae, in basi et infra dilute testaceae; intermediae totae fuscae, dente apicali magno; posticae ex testaceo flavescentes, extremo apice infuscato. Primus tarsorum anticorum articulus nigro-fuscus, reliqui testacei, apice singulorum fusco; tarsi intermedii toti nigro-fusci; postici dilute testacei, articulis primis duobus in apice, sequentibus fere totis vel totis fuscis. Alae cinereae, venis validis fuscis, in basi alarum lutescentibus, longitudinali tertiâ adversus finem incurvâ et cum quartâ convergente, cellulâ basali primâ quam secunda breviore; venula transversa basalis posterior completa; venae longitudinalis sextae segmentum primum subobsoletum. — (District Columbia; Osten-Sacken).

78. *Platypalpus lateralis* nov. sp. ♂ et ♀. *Ater, nitidus, thoracis marginibus lateralibus pleurisque albo-pollinosis, pedibus*

flavis, ultimis tarsorum articulis in apice nigris; alae hyalinae, cellularum basalium primâ et secundâ aequalibus. — Long. corp. $1\frac{1}{4}$ lin., Long. al. $1\frac{3}{4}$ lin.

Ater, nitidus. Caput ex nigro cinereum, subopacum. Antennae nigrae, articulo tertio breviter lanceolato, in basi flavo. Proboscis atra; palpi albi. Margines thoracis laterales et pleurae praeter maculam inferam nitidam polline conferto albido opacae. Scutellum polline albido rariore aspersum. Abdomen atrum, nitidum, segmentis ultimis in foeminâ valde elongatis et minus attenuatis quam in Platypalpis plerisque. Pedes cum coxis flavi, primis tarsorum articulis in apice subfuscis, sequentibus fuscis, ultimo fere toto nigro; femora antica subincrassata, intermedia crassa, infra setulis nigris rarioribus ciliata; dens apicalis tibiarum intermediarum parvus Alae hyalinae, venis fuscis, adversus basim alarum lutescentibus, longitudinalibus tertiâ et quartâ apicem versus parallelis vel subparallelis; cellulae basales prima et secunda aequales; venula transversa basalis posterior subintegra, postice tenuior; vena longitudinalis sexta adversus basim non abbreviata. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

79. *Platypalpus apicalis* nov. sp. ♀. *Ater, nitidus, thoracis marginibus lateralibus pleurisque obsoletissime albido-pollinosis, pedibus flavis, femorum anticorum posticorumque apice supra maculâ oblongâ nigrâ notatis, ultimo tarsorum articulo nigro; alae hyalinae; cellulae basales prima et secunda aequales.* — Long. corp. $1\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $1\frac{2}{3}$ lin.

Ater, nitidus. Caput minus nitens, facie confertim albo-pollinosâ. Antennae nigrae, articulo tertio breviter ovato, basi anguste luteâ. Proboscis nigra; palpi albidi. Thoracis margines laterales et pleurae polline albido-cinereo obsoletissime aspersae, modice nitentes. Abdomen nitidum. Pedes cum coxis flavi, ultimo tarsorum articulo nigro, femoribus anticis posticisque in apice supra maculâ ovatâ nigrâ notatis; femora antica modice incrassata, intermedia anticis paulo crassiora, infra breviter nigro-ciliata; dens apicalis tibiarum intermediarum brevis. Alae hyalinae, venis fuscis, in basi luteis, longitudinalibus tertiâ et quartâ parallelis; cellulae basalis prima secundae aequalis vel paulo longior; venula transversa basalis posterior completa; vena longitudinalis sexta basim versus abbreviata. — (Pennsylvania; Osten-Sacken).

80. *Platypalpus flavirostris* nov. sp. ♂. *Flavus, supra rufescens, nitens, capite cinereo, proboscide flavâ, ultimo antenna-*

rum articulo nigro, ultimo tarsorum articulo praeter basim fusco, dente apicali tibiarum intermediarum parvo. — Long. corp. $1\frac{1}{3}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{12}$ lin.

Flavus, supra rufescens, nitens, breviter flavo-pilosulus. Caput cinereum, facie albido-cinereâ. Primi duo antennarum articuli flavi; articulus tertius parvus, breviter ovatus, niger, setâ concolore. Palpi dilute flavicantes; proboscis longiuscula, lutea, apice nigricante. Pleurae supra polline albo rarissimo leviter aspersae, infra maximâ ex parte nudae. Abdomen supra subfuscum, hypopygio nigro. Femora antica non incrassata, intermedia valde incrassata, infra setulis nigris ciliata; tibiarum intermediarum dens apicalis parvus; articulus ultimus tarsorum omnium praeter basim infuscatus. Alae sublutescentes, venis dilute luteis, longitudinali tertiâ apicem versus levissime incurvâ et cum quartâ subconvergente, cellulis basalibus primâ et secundâ aequalibus, venulâ transversâ basali posteriore incurvâ et postice abbreviatâ, venae longitudinalis sextae basi non obsoletâ. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

81. ***Platypalpus laetus*** nov. sp. ♀. *Flavus, nitens, capite cinereo, proboscide nigrâ, articulo ultimo antennarum et tarsorum nigricante, dente apicali tibiarum intermediarum majusculo.* — Long. corp. $1\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $1\frac{2}{3}$ lin.

Flavus, nitens, breviter flavo-pilosulus. Caput cinereum, fronte et facie confertim albo-pollinosis. Primi duo antennarum articuli flavi; articulus tertius parvus, breviter ovatus, fusco-niger, setâ nigrâ. Proboscis brevis, tota nigra; palpi albidi. Pleurae supra polline albo rarissimo leviter aspersae, infra maximâ ex parte nudae. Styli anales nigro-fusci. Femora antica modice incrassata, intermedia crassissima, infra setulis nigris ciliata; tibiarum intermediarum dens apicalis majusculus; articulus ultimus tarsorum omnium nigricans. Alae sublutescentes, venis luteis, longitudinali tertiâ rectâ, quartâ leviter recurvâ et apicem versus cum tertiâ subconvergente, cellulâ basali primâ quam secunda paulo breviore, venulâ transversâ basali posteriore rectâ et integrâ, venae longitudinalis sextae basi obsoletâ. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

82. ***Dolichopus splendidulus*** nov. sp. ♂. *Aeneo-viridis, pedibus flavis, coxis anticis tibiisque posticis totis concoloribus, tarsis posticis antennisque totis nigris, ciliis oculorum inferioribus tegularumque ciliis flavicantibus; femora postica pilis flavicantibus*

ciliata; ultimus tarsorum anticorum articulus dilatatus, ater. — Long. corp. $2\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $2\frac{5}{12}$ lin.

Aeneo-viridis, nitens. Facies ex aureo ochracea. Antennae totae nigrae, mediocres, articulo tertio brevi. Lamellae hypopygii albae, nigro-limbatae. Coxae anticae nigro-pilosulae; femora postica prope apicem setâ solitariâ instructa, infra pilis flavicantibus rare ciliata; tibiae posticae simplices; tarsorum anticorum articuli primi quatuor tenues, longitudine decrescentes, flavi, subalbicantes, articulus terminalis compressus, modice dilatatus, ater. Alae cinereo-hyalinae, costâ ad exitum venae longitudinalis primae breviter incrassatâ, venâ longitudinali quartâ non fractâ. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

Nota. A Dolichopo splendido, quem magnitudine non aequat, differt: tertio antennarum articulo breviore, ultimo tarsorum anticorum articulo paulo minore ciliisque femorum posticorum multo rarioribus.

83. ***Dolichopus quadrilamellatus*** ♂ et ♀. *Aeneo-viridis, antennis brevibus nigris, articulo primo tamen infra flavo, ciliis oculorum inferioribus albis, tegularum ciliis nigris, coxis anticis pedibusque pallide flavis, tarsis posterioribus inde ab articuli primi apice nigris, alis cinereo hyalinis, venâ longitudinali quartâ non fractâ.*

♂. *tarsorum anticorum articulis decrescentibus, primis tribus tenuibus et dilute flavis, duobus ultimis depressis, modice dilatatis et atris.*

♀. *tarsis anticis simplicibus, inde ab articuli primi apice nigris.*

Long. corp. $3 - 3\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{11}{12} - 3$ lin.

Laete aeneo-viridis, nitens. Facies alba, in mare latiuscula, in foeminâ lata. Antennae breves, atrae, articulo primo praeter marginem superum flavo. Lamellae hypopygii luteae, lobatae et reduplicatae, ita ut duplices esse videantur, lobi secundi margine adusto, setulis aliquot incurvis nigris pilisque subtilibus albidis vestito. Coxae anticae flavae, nigro-pilosulae; femora postica prope apicem setam solitariam gerentia; tibiae posticae in utroque sexu simplices. — (New York. Osten-Sacken).

84. ***Dolichopus palaestricus*** nov. sp. ♂. *Aeneo-viridis, pedibus flavis, coxis anticis tibiisque posticis totis concoloribus, antennis tarsisque posticis totis nigris, ciliis oculorum inferioribus*

tegularumque ciliis flavicantibus, maris ultimo tarsorum anticorum articulo valde dilatato. — Long. corp. $2\frac{5}{6}$ lin., Long. al. $2\frac{3}{4}$ lin.

Facies maris augusta, ex aureo ochracea, foeminae lata, dilutius ochracea. Coxae anticae totae flavae, nigro-pilosulae; coxae posteriores cinereae. Lamellae hypopygii albae, limbo marginali latiusculo, nigro. Pedes flavi; femora postica prope apicem setâ solitariâ, infra ciliis flavicantibus instructa; tibiae posticae crassiusculae, in latere postico praeter trientem apicalem denudatae; tarsorum anticorum articuli primi quatuor flavi, longitudine decrescentes, articulus ultimus duobus praecedentibus simul sumptis longior, compressus et eximie dilatatus, ater, in latere posteriore candido-micans. Alae hyalinae, costâ ad venae primae exitum nonnihil incrassatâ, venâ longitudinali quartâ non fractâ. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

Nota 1. A Dolichopo batillifero differt: ciliis femorum posticorum rarioribus tibiis posticis minus incrassatis et in latere posteriore longius denudatis, tarsis denique posticis totis nigris.

Nota 2. Foeminam possideo, alis subinfuscatis instructam, quam legitimam Dolichopi palaestrici uxorem esse suspicor.

85. ***Dolichopus dorycerus*** nov. sp. ♂. *Viridi-aeneus, cupreo-micans, antennis praeter articulum primum nigris et setâ lamelliferâ instructis, ciliis oculorum tegularumque nigris, pedibus luteis, tarsis praeter basim nigris, ultimis quatuor anticorum articulis brevibus et valde dilatatis.* — Long. corp 3 lin., Long. al. $2\frac{3}{4}$ lin.

Facies ex fusco ochracea. Antennae breves, articulo primo flavo, secundo subobsoleto, tertio minuto nigro, setâ tenui, lamellam ellipticam ferente. Lamellae hypopygii mediocres, sordide albidae, latius nigro-limbatae. Coxae anticae luteae, nigro-pilosae, posteriores nigrae. Pedes lutei; femora postica prope apicem setis binis armata; tibiae simplices, posticae non incrassatae, in latere posteriore maculis duabus ex nigro fuscis, alterâ subbasali, alterâ apicali notatae; primus tarsorum anticorum articulus praeter apicem luteus, reliquis simul sumtis longior, articuli sequentes perbreves, dilatati, atri; tarsi posteriores inde ab articuli primi apice nigri. Alae ex cinereo hyalinae, adversus costam sublutescentes, angulo postico bilobo, venâ longitudinali quartâ non fractâ et costâ ad venae primae exitum leviter incrassatâ. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

86. ***Dolichopus melanocerus*** nov. sp. ♂ et ♀. *Viridis, antennis nigris, ciliis oculorum inferioribus albidis, tegularum ciliis*

nigris, coxis anticis pedibusque flavis, tarsis anterioribus inde ab articuli primi apice, posticis totis tibiarumque posticarum apice nigris, venâ longitudinali alarum quartâ non fractâ.

♂. *facie ochraceâ, femoribus posticis ciliatis.*

♀. *facie ex albo ochraceâ, femoribus posticis non ciliatis.*

Long. corp. $2\frac{7}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{2}$ lin.

Antennae totae nigrae, articulo tertio maris oblongo-ovato, foeminae breviore. Lamellae hypopygii albae, anguste nigro marginatae. Coxae anticae nigro-pilosae et in basi nigricantes, posteriores ex nigro cinereae. Femora maris postica infra pilis rarioribus flavicantibus ciliata; tibiae maris posticae in latere posteriore ex parte pilis destitutae. Alae cinereo-hyalinae, venâ longitudinali quartâ non fractâ; mas costam prope venae primae exitum nodatam habet. — (Canada; Couper).

87. *Gymnopternus coxalis* nov. sp. ♂. *Aeneo-viridis, antennis totis nigris, lamellis hypopygii lunatis, flavicantibus, coxis nigris, anticorum dimidio apicali pedibusque flavis, tarsis inde ab articuli primi apice nigris, ultimo anticorum articulo non depresso.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Facies albida, interdum dilutissime flavescens vel ex albo cinerascens. Frons albido-pollinosa. Lamellae hypopygii flavescentes, lunatae, angulo supero acuto, ciliis brevibus nigris. Tegulae nigrociliatae. Ordinariae tibiarum anticarum setulae apicem versus brevissimae. Alae cinereae. — (New York, Osten-Sacken).

88. *Gymnopternus meniscus* nov. sp. ♂ et ♀. *Aeneoviridis, antennis totis nigris, lamellis hypopygii lunatis, flavicantibus, coxis anticis pedibusque flavis, imâ illarum basi nigrâ, tarsis anticis apicem versus subfuscis, posterioribus inde ab articuli primi apice fuscis.* — Long. corp. $1\frac{7}{12}$ lin., Long. al. $1\frac{7}{12}$ lin.

A Gymnopterno coxali, cui simillimus, differt magnitudine, coxis anticis praeter imam basim flavis tarsisque dilutioribus. — (District Columbia; Osten-Sacken).

89. *Pelustoneurus abbreviatus* nov. sp. ♂ et ♀. *Obscure viridis, setâ antennarum breviter plumatâ, ciliis oculorum inferioribus nigris, pedibus ex testaceo flavis, femoribus anterioribus interdum basim versus infuscatis, coxis omnibus nigris, lamellis hypopygii brevissimis, nigris.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $5\frac{5}{12}$ lin.

Antennae rufae, apicem versus ex fusco nigrae, setâ breviter plumatâ. Facies maris albicans, foeminae obscure cinerea, supra et

adversus latera obsolete albicans. Thoracis dorsum polline subfusco leviter aspersum, adversus marginem posticum minus opacum. Scutellum ex viridi chalybescens. Tegulae albidae, nigro-ciliatae. Lamellae hypopygii perbreves, sublunatae, nigrae. Coxae nigrae. Pedes flavi vel ex testaceo flavi, femorum posticorum apice nigro; tarsi posteriores praeter basim nigri, antici apicem versus fusci. Alae obscure cinereae, subnigricantes. — (New York, Osten-Sacken).

90. *Pelastoneurus lamellatus* nov. sp. ♂. *Obscure viridis, posticâ thoracis parte et scutello violaceis, setâ antennarum longe plumatâ, ciliis oculorum inferioribus nigris, pedibus flavis, coxis anticis concoloribus, basim versus nigricantibus, lamellis hypopygii brevissimis nigris.* — Long. corp. $1\frac{1}{2}$ lin., Long. al. $1\frac{5}{12}$ lin.

Antennae rufae, apicem versus ex fusco nigrae, setâ longe plumatâ. Facies albo-micans. Thoracis dorsum polline subfusco leviter aspersum, adversus marginem posticum obscure violaceum. Scutellum concolor. Tegulae albidae, nigro-ciliatae. Lamellae hypopygii perbreves, sublunatae, nigrae. Coxae anticae flavae, albomicantes, adversus basim late nigricantes. Pedes flavi, apice femorum posticorum nigro; tarsi posteriores praeter basim nigri, antici apicem versus fusci. Alae obscure cinereae, subnigricantes. — (New York, Osten-Sacken).

Nota. A Pelastoneuro abbreviato distinguitur: colore thoracis et scutelli, setâ antennarum longius plamatâ, coxis anticis magnâ ex parte flavis et venis longitudinalibus alarum tertiâ et quartâ intervallo latiore separatis.

91. *Pelastoneurus alternans* nov. sp. ♀. *Obscure viridis, vittis thoracis alternis aeneis et ex caeruleo viridibus, setâ antennarum breviter pubescente, ciliis oculorum inferioribus albidis, coxis anticis pedibusque flavis.* — Long. corp. $1\frac{7}{12}$ lin., Long. al. $1\frac{1}{2}$ lin.

Antennae rufae, apicem versus nigrae, setâ breviter pubescente. Facies quam in reliquis speciebus angustior, obscure cinerea. Tegulae albidae, nigro-ciliatae. Coxae anticae totae flavae, nigropilosae, vix obsoletissime albicantes. Tarsi inde ab articuli primi apice ex fusco nigri. Alae obscure cinereae, subnigricantes. — (New York, Osten-Sacken).

92. *Porphyrops longipes* nov. sp. ♂. *Viridis, facie albâ, coxis ex viridi nigris, pedibus anterioribus flavis, articulis tarsorum ultimis duobus nigris, pedibus posticis nigris, femorum basi

tibiisque supra (basi tamen exceptâ) testaceis, tibiarum apice tarsisque fuscis, exterioribus hypopygii appendicibus filiformibus, bipartitis. — Long. corp. $2\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{5}{12}$ lin.

Obscure viridis, nitens, lineis thoracis duobus obscurioribus. Facies angusta, alba. Antennae nigrae, articulo tertio lanceolato, setâ antennis paulo longiore. Occiput infra pilis confertis albis vesticum. Tegulae albido-ciliatae. Appendices exteriores hypopygii testaceae, filiformes, bipartitae, pilis albidis subtiliter ciliatae. Coxae ex viridi nigrae, intermediae pilorum nigrorum fasciculo rigido armatae. Pedes antici dilute flavi, ultimis duobus tarsorum articulis nigris, primo reliquis simul sumptis fere longiore, in apice infra subdilatato. Pedes intermedii graciles dilute flavi, ultimis duobus tarsorum articulis nigris. Femora postica non incrassata, nigra, basi tamen testaceâ; tibiae posticae crassiusculae, nigrae, apicem versus fuscae et supra praeter basim dilute testaceae vel flavae; tarsi postici crassiusculi, fusci, articulis ultimis duobus nigris. Alae cinereohyalinae, venâ longitudinali tertiâ apicem versus leniter recurvâ, quartâ leniter flexâ. — (New Hampshire; Osten-Sacken).

93. *Cordylura praeusta* nov. sp. ♂. *Dilute flavescens, fronte et dorso saturatioribus, singulis abdominis segmentis anguste fusco marginatis, setâ antennarum nigro-plumosâ, alarum apice et venâ transversâ posteriore fusco-limbatis.* — Long. corp. $3\frac{1}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{3}{4}$ lin.

Dilute flavescens, nitida, pilis plerisque et setis omnibus nigris. Caput concolor, fronte ochraceâ, albo-pollinosâ, opacâ, facie praeter latera exalbidâ, setâ mystacinâ utrinque unâ. Antennae flavicantes, breviores, articulo tertio obtuso, setâ nigrâ et pilis nigris plumatâ. Scutellum setis duabus longis pilisque duobus minutis nigris instructum. Abdomen supra nigro-pilosum, utrinque et infra pilis tenuibus pallidis vestitum, segmentis singulis postice subtiliter fusco marginatis. Pedes dilute flavescentes, pilis omnibus setisque raris nigris. Alae ex cinereo sublutescentes, apice late, venâ transversâ posteriore anguste fusco-limbatis. — (Canada; Couper).

94. *Cordylura nana* nov. sp. ♀. *Atra, nitida, thoracis marginibus lateralibus et vittâ mediâ latissimâ cinereo-pollinosis, capite praeter superius occipitis dimidium pedibusque flavis, setâ antennarum nudâ, alis adversus costam nigricantibus.* — Long. corp. 2 lin., Long. al. $1\frac{3}{4}$ lin.

Caput flavum; antennae concolores, articulo tertio obtuso, setâ

tenui subnudâ. Proboscis cum palpis pallida. Superius occipitis dimidium nigrum: vertex concolor, maculâ geminâ polline albido aspersâ. Thorax ater, nitidus; dorsi vitta latissima polline cinereo opaca, margines laterales polline albido-cinereo aspersi; pleurae infra polline albido cinereae. Abdomen atrum, nitidum, ventre pallido. Pedes cum coxis flavi, extremis posticorum genibus nigris. Alae cinereo-hyalinae, adversus costam ex cinereo nigricantes, ita ut cellula marginalis inde a venae primae fine reliquâ alâ obscurior sit. — (Canada; Couper.)

95. *Tetanocera ambigua* nov. sp. ♂. *Antennae elongatae, tenues, articulis ultimis duobus subaequalibus, setâ albo-plumosâ: alae nigro-reticulatae, limbo costae et apicis nigro.* — Long. corp. $2\frac{7}{12}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{4}$ lin.

Corporis forma ac figura omnino Tetanocerae, sed caput et antennae Sepedontis, ita ut quasi intermedia inter utrumque genus appareat. Ex fusco testacea, thorace et abdomine fusco punctulatis. Frons utrinque maculas binas nigras habet, quarum inferior juxta antennas sita est. Antennae longae, tenues, testaceae, apicem versus nigrae; articulus secundus tertio subaequalis, pilis rarioribus nigris instructus; articulus tertius obtusus; seta alba, basim versus lutea, albo-plumosa. Facies prope antennas tuberculum laevigatum badium habet. Pedes testacei, tibiis anticis praeter basim, reliquis in apice nigris. Alae breviusculae, nigro-reticulatae, guttulis marginalibus nullis ita ut limbus costae et apicis niger, marginis postici ex nigro cinereus sit; vena transversa posterior valde arcuata. — (Maine.)

96. *Sapromyza decora* nov. sp. ♀. *Flavescens, maculis nigris variegata, alis fusco-reticulatis.* — Long. corp. $2\frac{1}{6}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{4}$ lin.

Dilute flavescens, infra pallidior. Tertius antennarum articulus triangulus, supra leviter excisus, setâ nigro-plumatâ. Frons praeter margines nigro-maculatos convexa, nitida, maculam geminam atram gerens. Genae et occiput fusco-maculata. Thorax et abdomen maculis nigris, seriatim dispositis ornata. Femora singula infra maculâ nigrâ notata. Alae fusco-reticulatae, costâ et apice radiatis, disco et margine postico guttatis. — (Lake George N. Y.; Osten-Sacken.)

Nota. Capitis forma et praecipue antennarum simillima quibusdam Tetanoceris; hoc et peculiaris frontis figura causam praebent eximiam, ut haec species pro typo habeatur unius eorum generum, in quae Sapromyzae discerpendae sunt.

97. ***Heteroneura melanostoma*** nov. sp. ♂. *Dilutissime flavescens, facie et abdomine nigris, setâ antennarum subnudâ, venis transversis alarum approximatis* — Long. corp. $1\frac{5}{12}$ lin., Long. al. $1\frac{7}{12}$ lin.

Dilutissime flavescens, pedibus totis concoloribus. Facies nigra, opaca, supra dilute flavescens. Seta antennarum subnuda. Thoracis dorsum paulo saturatius flavescens, utrinque albo marginatum Pleurae dilute flavescentes, supra obsoletius fusco-vittatae. Abdomen nigrum, nitidum. Alae hyalinae, plagâ apicali nigrâ; venae transversae approximatae ita ut anterior a cellulae discoidalis basi intervallo fere duplo latiore quam ab apice distet. — (New Hampshire; Osten-Sacken.)

Nota. Ab Heteroneurâ albimanâ, cui propinqua, pedibus anticis totis flavis facile distinguitur.

98. ***Opomyza lurida*** nov. sp. ♂ et ♀. *Lutea, metanoto pleurisque ex nigro fuscis, abdomine nigro, pedibus dilute luteis, femorum posticorum annulo subapicali obsoletissime subfusco; ♂. hypopygio nigro; ♀. abdominis apice luteo.* — Long. corp. $1\frac{2}{3}$—$1\frac{3}{4}$ lin.. Long. al. $1\frac{2}{3}$ lin.

Lutea. Caput concolor, occipite et superiore frontis dimidio fuscis, inferiore frontis dimidio et antennis ochraceis. Thoracis dorsum sordide luteum, adversus latera subfuscum; color scutelli ex luteo in fuscum vergens; pleurae obscure fuscae; metanotum ex fusco nigrum; abdomen nigrum, hypopygio maris concolore, summo apice in foeminâ luteo. Pedes dilute lutei, femoribus posticis ante apicem colore dilute subfusco obsolete annulatis, tibiis posticis praeter mediam partem saepe subfuscis. Alae subhyalinae, maculâ apicali angustisque venularum transversalium limbis ex fusco nigris. — (Sitka; Sahlberg.)

Nota. Variat frontis dimidio superiore, occipite, metanoto pleurisque ex ferrugineo rufis.

99. ***Ephydra subopaca*** nov. sp. ♂ et ♀. *Viridi-aenea, polline fusco-cinereo subopaca, pedibus testaceis; peristomium foeminae setis longis, maris brevioribus et rarioribus ciliatum; hypopygium oblongum, convexum, subtilissime carinatum.* — Long. corp. $1\frac{11}{12}$—2 lin., Long. al. $1\frac{7}{12}$—$1\frac{2}{3}$ lin.

Viridi-aenea, thoracis dorso et scutello interdum cupreis, polline ex fusco cinereo vel ex fusco ochraceo subopaca. Frons praeter margines laterales nitida. Antennae nigrae, pilo laterali articuli tertii nullo, setâ breviter pectinatâ. Facies maris descripti polline con-

ferto ochraceo, foeminarum albo tecta. Latera peristomii foemina setis longis nigris, mas brevioribus et rarioribus ciliata habet. Hypopygium oblongum, convexum, carinulâ mediâ lineari. Coxae testaceae et cinerascentes, vel cinereae. Pedes testacei, tibiarum apice fusco, tarsis ex fusco nigris; femora interdum supra ex cinereo glauca; femora postica in latere posteriore vittam denudatam, nitidam, badiam vel fuscam habent; tibiae posticae, supra setosulae, in triente apicali lineolâ laevigatâ, badiâ vel fuscâ notantur. Alae cinereae vel fusco-cinereae, venis fuscis. — (Connecticut; Osten-Sacken.)

Nota. Color pollinis faciei, quem in foeminis duabus album, in mare uno ochraceum observavi, variabilis esse videtur; alterum sexum faciem semper polline ochraceo, alterum albo aspersam habere, veri simile non est.

100. *Caenia spinosa* nov. sp. ♀. *Aeneo-viridis, pedibus fusco-testaceis, alarum nigricantium costâ nigro-setosâ, abdomine infra anum spinis duabus recurvis armato.* — Long. corp. $2\frac{1}{4}$ lin., Long. al. $2\frac{1}{4}$ lin.

Aeneo-viridis. Frons praeter latera et superius faciei dimidium nitida; dimidium faciei inferius ochraceo-pollinosum, pilis nigris vestitum, peristomio setis longis nigris ciliato. Thoracis dorsum et scutellum polline subfusco aspersa, subnitida. Pleurae supra polline ex ochraceo fusco, infra cinereo opacae. Singula abdominis segmenta in dimidio posteriore glaucescentia; infra anum spinae duae tenues, leviter recurvae conspiciuntur. Coxae polline albido cinereae. Pedes fusco-testacei, apicem versus fusci. Alae nigricantes, costâ setis validiusculis nigris armatâ. — (Massachusets; Sanborn.)

Ad calcem hujus centuriae liceat pauca a me errata emendare et tabulam secundum systematis ordinem dispositam earum specierum addere, quas quinque hae centuriae complectuntur.

Species, quam Empidis pictae nomine (Cent. III. 28.) descripsi, jam a Wiedemannio Empidis spilopterae nomine descripta est. — Nonnullis speciebus locus additus est „New Wisconsin“, qui „Northern Wisconsin“ esse debebat.

Catalogus generum et specierum, quae insunt in quinque primis dipterorum centuriis.

Tachydromidae.

Dolichopodidae.